DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROPE.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE HYDROPE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

RICHARDUS HEELIS,

ANGLUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOD. EXTR.

AD DIEM 24. JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCC XCVII.

Bolſter'd with down, amid a thouſand wants,
Pale Dropsy rears his bloated head, and pants:
"Quench me, ye cool pellucid rills!" he cries,
Wets his parch'd tongue, and rolls his hollow eyes.
So bends tormented Tantalus to drink,
While from his lips the refluent waters ſhrink;
Again the riſing ſtream his boſom laves,
And thirſt conſumes him 'midſt circumfluent waves.

Darwin.

AVUNCULO SUO,

ET AMICO DILECTISSIMO,

CHRISTOPHERO MACHELL,

LEGIONIS TRIBUNO;

VIRO

VIRTUTE OMNIGENA

ORNATO;

PROPTER MAXIMA BENEFICIA,

INSIGNEMQUE AMOREM,

QUIBUS SE NUNQUAM NON PROSECUTUS EST;

ITIDEM,

VIRO SPECTATISSIMO

HENRICO AINSLIE, M.D.

NOSOCOMII SANCTI THOMÆ LONDINI

MEDICO;

OB EXIMIA AMICITIÆ MUNERA,

IN SE, SUOSQUE,

ITERUM ITERUMQUE COLLATA;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMI QUAM GRATISSIMI

TESTIMONIUM,

CONSECRAT

AUCTOR.

Ars enim ex rebus penitus perſpectis, planèque cognitis, atque ab opinionis arbitrio ſejunctis præceptionibus conſtat; datque rationes certas, quæ habent ordinem, et quaſdam errare in faciendo non patientes vias: at hypotheſibus quibus hodie tantopere delectamur, quid incertius? An eæ quicquam aliud habent ut plurimum niſi meras conjecturas, quibus ex ſimilitudine in varias partes, nonnunquam etiam contrarias trahimur? Non in humani profectò ingenii acumine ſita eſt ars præſtantiſſima, quam diligens, accurata, et ſagax notatio naturæ, et animadverſio peperit; ſed potius variis cujuſque ætatis doctorum laboribus coacervata ſapientia dicenda eſt, hominumque multorum mens in uno quaſi collecta.

Baglivi.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROPE.

MIHI tractandus est *Hydrops*, dirus et periculosus ut fuit *Hydra*; nullis vinculis frequentissimè coërcendus, multos miseros armis luridis coërcens, denique pallidâ morte. Multi, haud immeritò quidem, inter opprobria medicinæ hunc morbum collocarunt, et dudum dixit ARETÆUS, "Ab ipso "pauci liberantur, idque felicitate, ac deo"rum potiùs quàm artis auxilio." Licèt

 enim

enim ex morbis variis per notitiam ſyſtematis vaſorum abſorbentium explicatis, nullius fortaſsè magìs quàm hydropis natura patefacta fuit; dolendum eſt tamen, omnia remedia et a Medicis antiquioribus et recentioribus in hoc morbo maximè laudata, vana omninò et inutilia ſæpiùs eſſe ſolere.

DEFINITIO HYDROPIS GENERALIS.

" Uberior ſeroſi humoris in aliquod corpo-
" ris cavum effuſio, atque in eodem congeſtio
" et ſtagnatio, propriè *hydrops* appellatur *."

Multa hydropis genera a Medicis recenſentur: Pro varia tamen partium ratione, quas ſeroſa occupat colluvies, diverſa nomina diverſa hydropis genera deſignantia adhibentur, et varia eorum ſymptomata ex eadem varietate præcipuè oriuntur: ea omnia verô, eaſ-
dem

* Burzerii Inſtit. Medicinæ Pract. vol. iv. p. 153.

dem caufas generales agnofcunt, fimiliaque remedia poftulant. De omnibus hifce generibus, præfertim de *hydropibus faccatis*, et *hydatitibus* dictis, opufculi hujufce limites arcti differere nos prohibent; tria igitur excerpfimus, *anafarcam* nempè, *hydrothoracem*, et *afcitem*, quæ mox paucis verbis fingulatim defcribere aggredimur.

Hydropis genera diverfa, modò feorfum, modò verò conjunctim, adoriuntur. Nullo alio morbo præeunte, fubitò nonnunquam fefe prodit hydrops, graduque citiffimo progreditur. Effufio ea, cui potus frigidus, corpore calente, avidè exhauftus, caufam dat, hujufmodi exemplum præbet. Multò autem frequentiùs, fenfim et infidiosè crefcit malum, et plerumque aliis morbis, tum *chronicis*, tum *acutis* diu protractis, quales funt febres intermittentes, dyfenteria, hæmorrhagiæ, hepatis pulmonisque morbi, plurimique alii, fupervenit.

DE GENERIBUS SINGULATIM.

DE ANASARCA.

Anaſarca a clariſſ. Culleno ita definitur: "Corporis totius vel partis ejus intumeſcentia mollis, inelaſtica."

Nonnulli *leucophlegmatiam* ab *anaſarca* diſtinguunt, ita Aretæus: ' Si omne corpus "intumeſcat ex alba *pituita*, craſſa et frigida, "*Phlegmatias* ei nomen eſt; ſi in humorem ſanguineum, aquoſum, tenuem, carnes "liquatæ fuerint, hydrops anaſarca generatur *." Hippocrates autem leucophlegmatiam in hydropem tandem deſinere, et eſſe quaſi hujus morbi initium, exiſtimavit. Hinc igitur cum Willisio et Culleno concludere licet,

* Aretæi, lib. 2. cap. 1.

licet, non in ſpecie, ſed gradu ſolummodò diſcrepare.

SIGNA.

Tumor levis talorum pedumque, noctu præcipuè conſpicuus, mane verò, fere vel omninò recedens, anaſarcæ incipientis primum indicium facit. Hicce tumor vi reſiliendi carens, mollis, albus, et frigidus eſt, impreſſique digiti veſtigium retinet. Indicia autem adeo levia, in principio tantùm hydropis reperiuntur. Progrediente enim morbo, ab inferioribus membra ad ſuperiora gradatim tumor aſcendit. Femora, ſcrotum, brachia, et manus, facies, præcipuè palpebræ, aliæque corporis partes, tument, aquâ impletæ. Propter quarundam etiam partium ſtructuram, ſitumque, hæ plùs minùſve humore effuſo diſtenduntur. Hinc ſcrotum in viris, pudendorumque labia in feminis,

minis, cellis laxioribus inſtructa, et nihil adipis habentia, vi aquæ facilè cedunt, adeóque præ cæteris in mole augentur. Ab ipſo morbi initio, ſitis inſatiabilis urget, hinc verba poetæ:

" Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur, aquæ."

Urina tamen fluidi exhauſti quantitati minimè reſpondet, ſed parciſſimè, et quandoque rubra craſſaque redditur.—Pulſus plerumque parvi et debiles, interdum tardi, perrarò denique validi et duri micant. Comes eſt ſæpè alvi durities; nonnunquam diarrhœa urget. Cutis arida et frigida tactui reperitur, atque ſudor ægrè elicitur.

A magna partium diſtentione, cutis ſenſum adeò obtuſum interdum evaſiſſe dicitur, ut ægrotus, cauſticis etiam potentiſſimis ei admotis, nihil doloris ſenſerit. Dr D. Monro ex Boerhaavio cujuſdam hydropici exemplum

plum citat, in quo exuſtio, carbone candente facta, aquas omninò deduxit, vulnere ab ægro non percepto *.

Ingraveſcente morbo, magìs magìſque corpus diſtenditur, adeò ut ore lurido tumidoque, ſpectaculum adſtantibus luctuoſum exhibeat. In hoc morbi ſtadio, interſtitiis telæ celluloſæ, quæ anaſarcæ ſedes eſt, per totum corpus inter ſeſe connexis, *latex* in cellulas, diverſa viſcera, præcipuè pulmones, circumdantes, infunditur; et hinc indicia, ſingulis eorum propria, naſcuntur. Cellulas quoque medullares oſſium in *anaſarca*, ſero locum medullæ occupante, repletas obſervavit Soemering †. Cùm morbus jam adoleverit, plurimæ corporis functiones admodum læduntur. Corporis languor, ſummaque debilitas obrepunt: cibi appetitus decedit; concoctio depravatur; et ſuccus,

* Treatiſe on Dropſy.

† De Morbis Vaſor. Abſorb. p. 130.

ſuccus, quo corpus ali ſolet, deficit. Spirandi difficultas, præcipuè poſt citatiorem inceſſum, tuſſis ſicca, aliquando febris hectica, his accedunt, et morbo afflictum admodum vexant. Dehinc citiſſimus virium lapſus ſequitur.

Nunc morbo ad exitium properante, pulſus languent, vacillant, et deficiunt. Spiritus difficillimè, anxiéque trahitur, et ita mors pedetentim obrepens, finem doloribus vitæque imponit.

Exempla autem quædam, ab auctoribus diverſis tradita legi, in quibus æger, ſine ulla cauſa evidente vel ante vel poſt mortem ſeſe prodente, ſubitò et improvisè e medio exceſſit. Dr D. Monro hujuſce generis duo exempla ſe vidiſſe narrat. In ſingulis verò ægroti aquâ deonerati, indiciis felicis ominis exiſtentibus, morte ſubitaneâ correpti ſunt; atque cadavere alterius inciſo, nullum vitium, talem effectum gignere aptum, inventum eſt *.

Doctores

* Loc. citat.

Doctores WITHERING * et FERRIAR †, plurimique alii, ejufdam generis exempla memoriæ tradiderunt. Sub finem quoque morbi, ftupor fæpius, coma, compreffique cerebri alia teterrima figna adjiciuntur, et agmen claudunt.

DE HYDROTHORACE.

A temporibus HIPPOCRATIS, (qui figna hujufce morbi, et communia, et *Pathogmonicorum* haud pauca, adamuffim literis mandavit), fcriptores ordine fequentes, ufque ad feculum decimum feptimum, pro fua dignitate de hac re minimè differuerunt. Alii vero hunc morbum tractantes, de paucioribus ejus fymptomatis, et raptim, mentionem fecerunt; ab aliis haud omninò memorantur: "Unde (ait clar.

* Treatife on Foxglove, Cafes 6th, 22d.

† Med. Hift. and Reflections, vol. i. p. 98.

" De Haen) concludere nos cogunt, morbum " ipſis minus in viventibus ægris, quàm in " denatorum cadaveribus patuiſſe *." In temporibus autem recentioribus, clari illi viri, Lower, Willis, De Haen, plurimique alii, de morbo ex profeſſo ſcribentes, de hydrothoracis indiciis, nos certiores fecerunt. Exempla etiam multa, a Coll. Lond., Edin., Paris, etc., memoriæ tradita, ſcientiam noſtram de natura hujuſce morbi, haud parùm promoverunt.

Hydrothorax, niſi jam morbus inveteraſcerit, ſigna adeo dubia incertaque exhibet, ut medicorùm oculis, atrâ quaſi nocte involutus, ſæpiùs evadat. Hæc omnia indicia, quæ medici Pathognomica appellant, non ſemper ſeſe in conſpectum dediſſe per totum morbi curſum, et in multis exemplis tantùm paullò ante fata ſuperveniſſe, cl. De Haen procul dubio monſtravit. Hic medicus quidem, hoc malum,

* Ratio Medendi, vol. ii. cap. 3.

lum, in " incertiſſimorum" morborum claſſe locavit; et forſitan haud immeritò. ZIMMERMANUS etiam hydrothoracem ſæpè, non niſi appropinquante morte, certè detegi teſtatur. De hac re autem fuſiùs in Diagnoſi loquemur.

His præmiſſis, ad ſigna enumeranda notatu digna, e ſcriptoribus medicis diverſis excerpta, ſtatim progredi debemus; prius autem definitio, a celeberr. CULLENO huic morbo data, præmittenda eſt. Definitur, " Dyſpnœa; " faciei pallor; pedum œdemata; urina par- " ca; decubitus difficilis; ſubita et ſponta- " nea ex ſomno cum palpitatione excitatio; " aqua in pectore fluctuans."

SIGNA.

SIGNA.

Cum humor aquoſus in pectore præter naturam coacervatur, *hydrothoracis* ſigna naſcuntur.

Hic latex ſeroſus, vel in alterutra, vel in utraque pectoris camera includitur; aliquando autem (ut in anaſarca tractanda obſervatum eſt) in tela celluloſa, qua pulmo vincitur, cumulatur, morbusque œdema pulmonum appellatur; et hinc ſigna diverſa, in diverſis exemplis, oriri reperiuntur.

Ingruit hydrothorax, cum cibi faſtidio, coctioneque depravata; corpus interea præter conſuetudinem macreſcit, vegetuſque color et decor faciei defloreſcunt. Sub morbi initio, ponderis et anxietatis ſenſum ad partem ſterni inferiorem ſentit æger. Hoc ſignum adeò autem lene eſt, ut vix ab ægro ipſo vel amicis animadvertitur,

animadvertitur, ideoque auxilium medici non poſtulatur ; e contrà, qui malè ſe habet, morbo interim in pejus ruente, more ſolito in publicum prodit, conſuetis muneribus fungi perſtat, ſuiſque amicis, ut olim, ſe exhilareſcit. Brevi vero, dyſpnœa, palpitatio cordis, et tuſſicula ſupervenientes, præcipuè poſt exercitationem ſolito violentiorem, veluti curſum, aut inceſſum citatiorem, maximè cum æger, locos acclives, collem nempe, vel ſcalas aſcendit, ſigno priori adjunguntur.

Poſt tempus, morbo magìs gravatum, dyſpnœa hactenus vaga et fugax, nunc conſtantior, noctè præcipuè, corpore recumbente, urget.

Ægroti ad ſomnum ſeſe conferentis moleſtiæ ad tempus pacantur ; ſed brevi tantùm requieto, ſomnus levis, exiguus, vix inchoatus, inſomniis terrificis, et ſuffocationis metu ſæpè turbatur, et manè vix renovatus e lecto conſurgit. Tuſſis moleſtior fit, nocturnam dyſpnœam precipuè comitans, ſputo parcè ejecto.

Difficilis

Difficilis etiam decubitus plerumque in latus ſanum fit, ſi in unum ſolummodò fundatur aqua ; tunc enim reſpiratio difficilior redditur, increſcuntque tuſſis et anxietas. Interdum ſed perrarò alitèr accidit, (pulmone ipſo nempè, qui ab aqua liber eſt, labefacto, altero autem, qui aquâ circumdatur, reſpirationem ſolo abſolvente), ut ægrotus, in latus tantùm humore immune, conquieſcere et reſpirare poſſit. Aliquando autem in neutrum decumbere queat, ſed ſolum in tergum jacens, quietem fragilem caducumque rapit. Paulò poſt inceptum morbum, ſæpè etiam ipſo ejus initio, et haud rarò affectionem pectoris antecedens, ſcroti pedumque œdema ſeſe oſtendit.

Dolor lenis et torporis ſenſus, vel potius quædam paralyſis, brachium utrumque vel alterutrum afficientes, ſemperque in latere laborante, ſi unum tantùm laboret, ſtadium mali maturum, crebrò comitare ſolent. Urina ut in aliis hydropis generibus, parca, ſubrubra, craſſaque

craſſaque redditur. Pulſus plerumque fiunt debiles, parvi, morboque pericardium vel pulmonis telam celluloſam occupante, irregulares et intermittentes: nec deſunt exempla, in quibus duri et validiores ſolito comperti ſunt. Talibus ſignis pergentibus, gradatim creſcit malum. Summâ difficultate nunc ſpirat æger; tuſſique moleſtiore pectus concutitur, ſed ſputa pauca et ſpumoſa ejiciuntur. Corporis exercitium etiam leve, ſine ſuffocationis periculo perfici nequit. Morbus ad hoc ſtadium provectus, magnoperè ingraveſcit, ſigniſque atrociſſimis ſtipatur. Nunc noctes tragicæ, dieſque inquietiores ægrum fatigant; nunc miſer ſomni blanditiis vix et ne vix quidem potitur; quieti enim ſeſe conferens, brevi ab eo derepentè excitatur, et ad ſuffocationem inſtantem evitandam, ſtatim ſeſe erigere, aliquando etiam e lecto ſurgere impellitur. Nunc omnia, ſi ſieri poſſit, in deteriora ruunt. Ægrotus erecto cervice, aut prono corpore, tantùm ſpirare

rare poteſt; color lividus labia, vultumque obducit, indicium infauſtiſſimum! tandem lypothymiis et ſyncope ſupervenientibus, denique ſubitò ſuffocatur ægrotus.

DE ASCITE.

Cullenus illuſtriſſ. definitionem hujuſce morbi verbis ſequentibus enunciavit; "Aſci-
"tes (abdominalis) cum tumore totius abdo-
"minis, æquali, et cum fluctuatione ſatis evi-
"dente."

Aſcites, ſine ullo alio hydropis genere, ſæpè invadit; aliquando autem anaſarcæ ſupervenit; hydrothorace quoque nonnunquam adjecto.

SIGNA.

SIGNA.

Ineunte aſcite, augmentum abdominis leve, vix notatione dignum, ad regionem hypogaſtricam obſervatur. Mox autem adaugeſcit tumor, perque totum abdomen ſe extendit. Diſtentio et ponderis ſenſus, ſecundum corporis poſitionem, ſedem multò variant. Erecto corpore, aqua pondere ſuo ad inferiorem abdominis partem gravitans, regionem hypogaſtricam occupat et diſtendit; recumbente autem ægro, humor hydropicus ad partes ſuperiores ſurgens, diaphragma premit, deſcenſumque ejus impedit; unde decubitus difficilis, dyſpnœa urgens, tuſſiſque moleſta, gignuntur. In ſitu etiam horizontali, aqua diſtendit lumbos, et ad latus cui æger incumbit præponderans, ibi magis percipitur, dum in latere adverſo ſimul tumor pro rata parte decreſcit.

Morbo aliquandiu processo, manu in latus alterum expanso, latereque opposito digitorum apicibus percusso, aqua per abdòmen undans facilè sentitur; ipsum ægrotum quoque corporis posituram mutantem minimè latet fluctuatio.

Dolor hepatis regionem occupans haud rarò effusionem antecedit, eamque comitatur. Hepar etiam in nonnullis exemplis adeò amplificatum evadit, ut tumor, fluido paracentesi vel medicamentis remoto, extrinsecus sese ostendat, causamque morbi lucidè demonstret.

Omnes functiones, tum naturales, tum vitales, tum animales, malè peraguntur. Viscera chylopoietica digestioni minùs inserviunt; borborigmi, flatus, aliaque dyspepsiæ signa oriuntur, et ad abdominis tumorem augendum haud parùm conferunt.

Cum aliis hydropum indiciis, æger ad mortem sensìm, certè tamen appropinquat. Dyspnœa, tussis, abdominis distentio, aliaque indicia

dicia quotidiè ingravefcunt. Dolores abdominis vehementes, cum diarrhœa pertinaci nullis remediis fuperanda, adjiciuntur. Franguntur vires; torpet æger; horrida macies partes colluvie ferosâ haud occupatas obripit; multaque paffus fupremum demùm fpiritum efflat.

Cultro anatomici teftante, inteftina aliquando coalefcere, aliifque inflammationis fignis corripi, reperta funt. Cl. FERRIAR * tria exempla, in quibus diarrhœa ultimum morbi ftadium comitata fuerat, fe obfervaffe fcribit; horumque cadaverum inteftinis valdè inflammatis, talem exitum afcitæ inveteratæ propriam effe judicavit.

DIA-

* Loc. citat. p. 98.

DIAGNOSIS.

Quoniam nonnulli alii morbi quodammodo hydropem referunt, pauca indicia, quibus hic diſtinguatur, notanda ſunt.

Anaſarca ab omnibus aliis morbis dignoſci facilè poteſt, ex eo quod fovea, premente digito, aliquandiu in parte preſſa manet. In *polyſarcia* quoque pedes, talique, veſperem verſus, minimè ut in anaſarca tument. Crepitus qui per manûs frictionem in *emphyſemate* percipitur, et tumoris elaſticitas, eam inter et anaſarcam diagnoſin certam præbet.

Haudquaquam verò de *hydrothoracis* præſentia tam facilè judicari poteſt. Multa ejus ſigna alios quoque pectoris morbos comitari ſolent, et nonnunquam quoque ea, quæ pathognomica habentur, vel omninò deſunt, vel ſaltem ante morbum diu provectum, ſeſe non oſtendunt.

Indicia,

Indicia, quæ Medici *pathognomica* hujuſce morbi ducunt, ſequuntur.

1mum, *Repentina ſomni interruptio, cum intentatis ſuffocationis minis.* Cl. De Haen * autem hunc morbum tractans, hoc ſignum, quamvis ſæpè adſit, in multis tamen exemplis graviſſimis, omninò abeſſe, in aliis, paucis ante mortem diebus tantùm apparuiſſe, apertè evicit.

2dum, *Oedema* et *Paralyſis alterutrius vel utriuſque brachii et manus;* quod vix multò certius eſt ſignum. Idem cel. auctor enim, ſe obſervaſſe hoc indicium, in altero ægroto octiduo, in altero quatriduo ſolùm ante obitum, memoravit.

3tium, *Fluidi fluctuatio.* Hippocrates nos admonuit, " Hominem nempe in ſedili " collocatum humeris validè concutere et mo" vere; ut ſic, aure mox ad latus admotâ, " undulans aqua percipi poſſet †." Fluctuatio

* Loc. citat. vol. ii. cap. 4.

† Lib. de Affectionib. Internis apud Fæst. tom. i. 5445.

tio autem eſt minimè conſtans; multique Medici, ſe nunquam, vel ſaltem rariſſimè, eam animadvertiſſe fatentur; nec talis concuſſio violenta in hydrothorace periculo caret. Hæc ſigna igitur, hydrothoracis pathognomica minimè appellanda ſunt:—et minimè quidem, propter unum aliquod ſignum hunc morbum adeſſe, ſed ex plurimis ſymptomatis conjunctis, judicandum.

Signa hujuſce morbi certiora accuratè et eleganter a Burzerio enumerata, in ejus accipe verbis: "Ego quidem, ſiquid judicem "neque uno, neque altero ſigno confitendum "eſſe arbitror, ſed ſingula cautiſſimè primùm, "deinde omnia expendantur oportet, ante"quam de eo feratur ſententia. Itaque ſi, "diligenti initio examine, multa ſimul copu"lentur ex iis, quæ pro diagnoſticis ſignis "enumeravimus, quid hydrothoracem adeſſe "dubitaveris? Exempli causâ, ſi empyematis "cauſæ defuerint, fuerint verò quæ hydropi

"inducendo

" inducendo aptæ noſcuntur; ſi reſpiratio
" difficilis jam ſit, aut a quovis corporis motu
" fiat anheloſa aut erectâ cervice duci debeat;
" ſi ob ſuffocationis metum ſomnos repentè
" interrumpat; ſi decubitus in alterutrum
" latus difficilior evadat; ſi fluctuatio quæ-
" dam in pectoris cavea percipiatur; ſi ar-
" tuum imprimis inferiorum aut ſcroti œde-
" mata, tuſſis præſertim ſicca, ſitis, urinæ
" parcitas, concurrant; ſi latus affectum œde-
" ma exterius oſtendat, quod interdum evenit,
" aut ſcapula et brachium reſpondens tumeat,
" et torpeat, quod frequentius eſt; profectò
" non erit, cur certiora de hydrothorace ſigna
" deſideres *."

Aſcites ab omnibus aliis morbis, præter hydropes ſaccatos, facilè internoſcitur, ſenſu aquæ fluctuantis, manu uni lateri admotâ, et latere adverſo digitorum apicibus percuſſo.

In

* Burzer, Inſtit. Med. Practic. vol. iv. De Hydrope Pulmonum, &c.

In *tympanitide*, vice aquæ undulantis, abdomen manu pulſatum, ſonitum inſtar tympani edit.

Polyſarcia non ſolùm undulatione vacat, ſed etiam in eo umbilicus retrahitur ; in *aſcite* autem extrinſecus protruditur.

Diagnoſis inter *aſcitem* iſtam, cui ſchirrus hepatis dat cauſam, et *hydropes iſtos ſaccatos* in abdomine collocatos, ſæpiùs perdifficilis eſt. Ut certò dijudicetur, morbi cauſa, progreſſus, ſedeſque primaria, accuratè obſervanda. Aſcites abdominis vera multa præbet indicia, quorum ſaccatus omninò expers eſt. Illius, urinæ parcitas, ſitis ingens, in hypochondriis dolor, macies corporis, comites eſſe ſolent ; hic autem his omnibus vulgò caret.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Vaſa quanquam reſorbentia jamdudum inter Medicos cognita ſunt, ſcientiam tamen noſtram accuratiorem eorum phyſiologiæ et pathologiæ ſcriptoribus magni nominis recentioribus debemus, inter quos, Prof. noſter celeberr. Monro, Hunter, Hewson, et Cruickshank, præcipuè memorandi ſunt.

Omnia corporis cava, tum magna, tum parva, veluti caput, thorax, abdomen, intercapedineſque telæ celluloſæ undique, halitu aquoſo e vaſis exhalantibus ſeparato, perpetuò irrorantur. Hicce latex, qui pars tenuior ſanguinis eſt, per vaſa ſupradicta juſtâ quantitate exhalatus, in corpore admodum utilis eſt. His enim partibus, quæ ſeſe invicem atterunt, ab eo lubricatis, motum liberiorem reddit, et adhæſiones, quæ aliter evenirent, impedit.

Dum corpus a ſanitate firma adhuc nil deflexerit, ne liquidus effuſus coacervetur, latex oſculis hiantibus vaſorum lymphaticorum, quibus omnia iſta cava cumulatè ſuppeditantur, aſſiduè reſorbetur, et per ductûs thoracici viam tranſit, ad cor denique reducendus. Latex quando talis in iſtis corporis partibus ſupra recenſitis præter modum accumulatur, ibique ſtagnat, hydrops adeſſe dicitur. In aſcite, ex. causâ, propter numerum vaſorum rubrorum, viſceribus ſuper abdominalibus ſparſorum, ſpatiumque quod occupant ramuli eorum, eodem tempore venis valvulis carentibus, effuſio feri permagna e vaſis exhalantibus ut ſequatur neceſſe eſt : Par igitur numerus vaſorum reſorbentium ad hunc laticem reſumendum requiritur. Nec intereſt, ſive exhalatio adeò augeatur, ut vaſa abſorbentia ſerum effuſum amovere nequeant ; ſive abſorbentium actio ita minuatur, vel trunci eorum adeò comprimantur et obſtruantur, ut exhalatio,

latio, licèt copiâ naturali facta, haud plenè resumatur. Utraque causa conjuncta ad hunc morbum gignendum frequentissimè confert.

Præter exhalationem auctam et absorptionem imminutam, inter causas hydropum aliam, rarissimam quidem, rupturam nempe ductûs ipsius thoracici vel quorundam ejus ramulorum, Medici recensent.

SEMINIA.

Omnis ætas, sexus uterque, temperamenta varia, causis excitantibus satis validis existentibus, hydrope corripiuntur. Nil dubitandum tamen, nonnullos præ cæteris huic morbo obnoxios esse. Sydenhamus accuratissimus, sexum muliebrem sæpiùs, quàm virilem, hydrope infestari notavit. Seniles multò frequentiùs, quàm juvenes, secundâ valetudine florentes aggreditur. Corporis debilitas, sive congenita, sive

ſive extrinſecus ex variis cauſis originem ducens, hydropi maximam proclivitatem præbet; ſæpius quidem, ſine ulla cauſa concurrente morbum faciens.

Homines *temperamenti phlegmatici* morbo adeò opportuni fiunt, ut causâ etiam leniore excitante applicatâ, in hydropem incidant. Hinc fortaſſe hydrops nonnullos apud Medicos morbus hereditarius habetur; quo intelligenda eſt corporis diſpoſitio vel conſtitutio, certis quibuſdam morbis a natura proclivior, a parentibus proli ſuæ tradita, eodem modo ac liberi, tam in vultu corporiſque forma, quam animi indole, virtutibus et vitiis, parentes ſæpe referunt. "Imperioſa gens Claudia diu "Romæ floruit, impigra, ferox, ſuperba: ea-"dem illachrymabilem Tyberium, triſtiſſi-"mum tyrannum, produxit; tandem in im-"manem Caligulam, et Claudium, et "Agrippinam, ipſumque demum Neronem, "poſt ſexcentos annos, deſitura *."

Conſentiunt

* Conſpect. Med. Th. p. 7.

Conſentiunt omnes, quòd ſanitas vigorque corporis conſerventur, et functiones ejus variæ aptè abſolvantur, exercitium admodum neceſſarium eſſe. Hinc duæ res, quæ languorem afferunt omnibus, huic morbo proclivitatem inducunt, otium et inactivitas. Homines, propter hanc cauſam, a corporis exercitatione, negotiiſque ſolitis prohibiti, vitamque ſedentariam agentes, hydropi valdè proclives eſſe ſolent. Appetitus enim deficit; ciborum concoctio depravatur; vaſorum actio minuitur; variæ ſecretiones impediuntur; unde viri vitam ignavam ducentes, luxuriæque dediti, languidi, infirmi, debiles, variiſque morbis proni, evadunt.

Morbi antecedentes omnes diu protracti, præcipuè autem febres intermittentes, ſcarlatina, et dyſenteria, aut corpus debilitando, aut obſtructiones viſcerum organicas inducendo, hydropi anſam præbent.

Huc

Huc quoque victus tenuis et aquosus, corporis exercitationi impar, affectus animi deprimentes, aër humidus et frigidus, exinanitiones largæ, præsertim sanguineæ, referri debent. Hydropem in Batavia, ubi aër humidus est, præ cæteris regionibus grassari dictum est; et clariss. Home observavit, viros hydropi maximè pronos esse "in humido aëre degen-"tes, vel opus aquaticum exercentes, quales "sunt lotores et piscatores *." Liquorum inebriantium, præcipuè spirituum ardentium usum intemperatum hydropis causam frequentissimam esse, uno ore Medici conclamant. Liquores tales, non solùm genus nervosum magnopere vastant, sed dirum et sæpius insanabilem ascitem, ab hepatis obstructione et schirro, quæ modo nobis incognito producuntur, gignere sæpè solent. Ex his omnibus, Sydenhamus rectè observavit, "quod bibacissimi

* Principia Medicinæ (de Hydrope).

" cissimi quique helluones sæpiùs cum hoc " morbo, frigido licet, quam cæteri conflic- " tentur *."

Conditiones autem corporis admodum diversæ, huic morbo proclivitatem inducere, a quibusdam scriptoribus recentioribus dicuntur. Dr GRAPENGIESSER †, in dissertatione sua de Hydrope Plethorico, in duas species, nempè, hydropem plethoricum *acutum* et *chronicum*, hoc genus divisit. Priori, viros robustiores saturosque, ætate integrâ florentes, præcipuè fabros ferrarios et lignarios, obnoxios esse notavit; posteriori, homines crasis laxioris et spongiosæ, senectute confectos, quibus appetitus cibi bonus, sed concoctio prava est, vitamque sedentariam degentes.

CAUSÆ

* SYDENHAMI opera, (de Hydrope, p. 483.

† Annals of Medicine, v. i. art. 15. p. 176.

CAUSÆ EXCITANTES.

Ex omni parte cùm hunc morbum ſpectemus, frugifera et fructuoſa eſt inveſtigatio de ejus natura; nec ulla pars inculta ac deſerta ſit; tum nullus feracior in eo locus eſt, nec uberior, quam DE CAUSIS EXCITANTIBUS; namque prædiſponentes antedictas, ſi fieri poſſit, corrigendo, excitantes autem vel evitando, vel, ſi jam inſtent, amovendo, venienti morbo occurrimus, et morbum jam corripientem corripimus: Unde de medendo aut morbo præcavendo methodus congruens ducitur.

Plurimæ quoniam inter cauſas multiplices excitantes ex inciſis cadaveribus facilè explicantur, quaſdam ex iis, a diverſis ſcriptoribus traditas, inter cauſas ſequentes ſpargere haud alienum erit. Varii auctores, magnam laudem, noſtro judicio, conſecuti ſunt, quorum induſtriâ,

induſtriâ, tot exempla morbida collecta literis mandata ſunt. Bonetum et Morgagnium, qui ſectiones exactiſſimè deſcriptas memoriæ tradiderunt, in hac re potiſſimùm ſecuti ſumus.

Hydrope e laticis in quavis corporis parte coacervatione naſcente, et hac accumulatione, ex exhalatione aucta, abſorptione minuta, aut rupto vaſe lymphatico, originem ſuam trahente, ad quaſnam cauſas, mutationes tales morboſæ referri debent, proximè diſquirendum.

Exhalatio aucta neceſſaria ſequela eſt omnis cauſæ, quæ impetum ſanguinis in arteriis augendo, ad fines earundam exhalantes vî inſolitâ eum premit, majoremque partis tenuioris ſanguinis copiam per ramos propellit. Nihil æquè ad hanc rem conferre videtur, ac ſanguinis in venis coacervatio. Sanguinis enim ita impediti per venam cavam deſcendentem ad cor reducis tranſitus ex arteriis extremis ad

venarum initia prohibetur. Hoc impedimentum igitur nituntur ſuperare arteriæ; ſed pars tenuior ſanguinis faciliorem per vaſa exhalantia, quam per venas, aditum inveniens, fluidi tantum in caveas ſingulas, ſive in telæ celluloſæ interſtitia, per arterias exhalantes tranſire cogitur, quantum abſorbentia recipere recuſant; diſtentio igitur præter naturam fit, formaturque hy rops.

Tumores œd matoſi, ex ligaturis circa membrum, ita ut venæ et non arteriæ comprimantur, naſcentes, hanc rem ſatis demonſtrant.

Experimentum pulchrum a Lowero inſtitutum, preſſuræ, et inde ſanguinis coacervationis in venis, effecta optimè illuſtrat, qui "perforato dextro latere thoracis canis, venam cavam vinculo ſtrinxit; dein, relaxato pectore, vulnus conſuit. Peracto autem experimento, canis mox oblanguebat, et intra paucas horas expirabat. Diſſecto abdomine, mag-

" na

" na feri quantitas enatare confpiciebatur,
" non aliter quàm fi afcitâ diu laborâffet *."

Causæ Generales reditum fanguinis impedientes, exhalationemque augentes, ad duo capita referri poffunt.

1. Causæ quæ reditum fanguinis totius ad cor impediunt.

Quædam cordis ipfius conditiones, iter fanguinis per cava ejufdam impedientes, vel plenam eorum depletionem prohibentes, vel ingreffum ejus quantitate folitâ, in auriculas a venis, in ventriculos ab auriculis, aut demum in arterias a ventriculis, præpedientes, hoc maximè efficiunt. Ponatur exemplum; dextro cordis ventriculo putà, ipfam fanguinis quantitatem, quæ auricula ejufdam lateris ei tradere vult, accipere, vel ventriculo, fanguinem

* Tract. de Corde, cap. 2.

nem jam acceptum in arterias impellere, recusante, quid sequitur? Auricula, propter sanguinem in ea cumulatum, ita distenditur, ut quantitatem solitam a vena cava admittere haud poterit, systema totum venosum præter naturam onerabitur, et actio arteriarum ad renixum vincendum intendetur; sed parte tenuiore sanguinis nunc aditum faciliorem per vasa exhalantia, quàm per venas rubras, habente, humoreque in cavis, vel telæ cellulosæ ubique corporis interstitiis, deposito, ut hydrops non consequatur non potest.

Cavis cordis singulis contractionibus haud depletis, eadem cumulatio in corde, idem renixus in venis, arteriarum eadem actio aucta, eademque demum in cava corporis laticis effusio, necessariò gignuntur. Ex. gratiâ, valvulis semilunaribus ventriculi cordis sinistri in os conversis, et officiis suis fungi minimè aptis, ventriculus sese exinanire nequeat, vel saltem sanguis, aortâ se contrahente, retrorsùm in

ventriculum

ventriculum partim regurgitat, in auricula ſiniſtra, in venis et arteriis pulmonalibus, in ventriculo et auricula dextris, in venis demum, coacervandus ; hinc pulmonum anaſarca, hinc aſcites, hinc totius corporis œdema, oriuntur.

His perpenſis, facilè intelligendum eſt, quomodo vitia cordis omnigena, valvularum ipſius, et vaſorum vicinorum conſtrictio, amplificatio, converſio in os, et polypi, effectus ſuos præſtare poſſint. Cadaverum ſectiones plurimorum, inter vitam hydrope laborantium, talia cordis vitia adfuiſſe certiſſimè evincunt.

Nil dubitandum, quin in ægris jam viventibus polypoſa cordis concretio aliquando naſcatur, et liberum ejus cavorum actionem et depletionem impediendo, hydropem inducere poſſint. In ægrotantium enim cadaveribus quibus ante mortem indicia cordis vitii organici manifeſtò adfuerunt, nihil vitii præter concretiones polypoſas in ventriculis vel auriculis ſitas, compertum eſt. Quamplurimæ hydropum hiſto-

riæ

riæ a tali caufa orientium, a BONETO, MORGAGNI, aliifque anatomicis eximiis, nobis traditæ funt. Exempla hydropum viginti, aut plura, a BONETO * memorantur, quibus vitia cordis, præfertim polypi, caufam præbuiffe videntur. HOFFMANNUS, de hac re differens, ita dicit: "Deinde, fi meam ipfius experien-"tiam licet proferre, ego plenâ fide teftari "poffum omnes ferè quos fecandos curavi "hydropicos, præter vifcera male conftituta, "polypôfa in corde ejufque vafis habuiffe "concreta †."

Dr D. MONRO in Diff. Inaug. exemplum hydropici ab eo diffecti memoriæ prodidit, "ubi non alia inventa eft hydropis caufa "quam valvularum mitralium cordis finiftri "offificatio; unde adeò reftrictum fuit fan-"guinis iter, ut digitum minimum vi impul-

"fum

* BONET. Sepulchret. Anat. lib. 3. fect. 21. Obf. 3. De Hydrope.

† HOFFMANNI oper. cap. 14. de Hydrope, Th. path. § 11.

" ſum vix reciperit oſtium ventriculi. Cor
" prægrande fuit. Dum inter vivos eſſet
" homo, a ſingulis cordis ictubus elevabantur
" adeô omnes colli partes, ut ipſæ venæ pul-
" ſare viderentur *."

Permanentes pulmonum obſtructiones. Reſpiratio ab innumeris cauſis ſæpè adeò impeditur, ut tranſitus ſanguinis per pulmonum vaſa ferè prohibetur.

Sanguine propter hanc cauſam in pulmonibus, et ventriculo et auricula dextris, coacervato, indicia hydrothoracis aut pulmonum anaſarcæ, neceſſariò oriuntur. Bronchiorum cellulæ vix aëre permeabiles haud rarò reperiuntur. Quod ſi res ita ſe habeat, non fieri poteſt, quin mutatio iſta ſalubris, quæ ſanguis per pulmonem tranſiens, ab aëris contactu et fortaſsè oxygeni ex atmoſphæra abſorptione, ſubire debet, abſolvi nequeat.

Hinc

* Theſ. Inaugur. in Theſ. Med. vol. ii. p. 200.

Hinc ſanguine ad munera ſua propria in œconomia animali fungenda inepto exiſtente, præter preſſuram in venis factam, languor, virium lapſus, diatheſisque hydropica, conſequuntur.

Cauſæ vitiorum talium in pulmonibus multiplices ſunt. Tumores diverſi generis, veluti ſchirri, tubercula, vomicæ, et e vaſis effuſiones, quæ pulmonum inflammationem ſequuntur, inter cauſas hydropis, ſcriptores rectè recenſent, hac conjecturâ experimentis anatomicis ſtabilitâ. Sic tractat BURZERIUS: "Id ſæpiſſimè patet ex cadaverum ſectioni-"bus, in quibus frequentiſſimè detectum eſt, "præcipuè pericardii et pectoris, aliquod in "venis majoribus circa præcordiam vitium, "quo liber in cor refluxus cohiberetur, exti-"tiſſe *."

Obſervat

* Vol. iv. De Hydr. pect. pulmonumque. Vide etiam BONET. Sepulch. loc. cit. Caſ, 14.

Obſervat Dr D. MONRO, "In thorace ple-
"rorumque ex phthiſi pulmonali mortuorum
"plus minus aquæ ſemper ferè deprehendi*."

Plenitudo venarum univerſa. An hæc pro hydropis cauſa jure agnoſci debeat, necne, magnoperè dubitandum eſt. CULLENUS experientiâ præditus de hac re dubitare videtur, et hiſce verbis ſententiam ſuam cautè tradit: "It may be ſuppoſed, that a general præternatural plethora of the venous ſyſtem may "have the effect of increaſing exhalation; "and that this plethora may originate from "ſuppreſſion of fluxes, or evacuations of "blood, which had for ſome time taken place "in the body, ſuch as the menſtrual or hæmorrhoidal fluxes. A dropſy, however, "from ſuch a cauſe, has been at leaſt a rare "occurrence; and when it ſeems to have happened, I ſhould ſuppoſe it owing to the

* Loc. citat.

" ſame cauſes as the ſupreſſion itſelf, rather " than to the plethora produced by it *."

Si hydrops ex hac cauſa unquam oriatur, cumulatio in venis præter naturam facta, liberum ſanguinis reditum ad cor impediendo, eodem modo ac cauſæ obſtructionis jam recenſitæ, effectus ſuos edere poteſt; vel hâc lege œconomiæ animalis generali experientiâ confirmatâ, quod cùm actio partis alicujus ullo modo repreſſa fuerit, vis aliûs corporis partis, ut huic obſiſtatur, pro rata parte contra naturam intenditur.

Hydrops ſeu ab hac cauſa (plethora nempè venarum) originem trahens, ſivè non, teſtantibus HOFFMANNO †, FORESTO ‡, plurimiſque aliis, aut evacuationes ſolitas ſuppreſſas, menſes nimirum, et fluxum hæmorrhoidalem, aut repulſas eruptiones, aut demum perſpirationem

* Firſt Lines, vol. iv. p. 257.

† HOFFMAN. lib. cit. cap. 14. Theſ. Path. § 23, 25.

‡ FORESTI Opera, lib. 19. Obſ. 20. 24.

tionem a frigore obſtructam, ſæpiſſimè conſequitur. Bonetus * etiam tria aſcitæ exempla inſignia ab *iſchuria* naſcentia narrat.

2. Causæ quæ reditui partis ſanguinis ſolummodo obſtant.

Poſitura corporis. Ab ipſo ſanguinis pondere, ſi quis debilis in pedibus diu inſtiterit, talis renixus reditui ſanguinis per venas opponetur, ut eo ægriùs ex arteriis in illas recepto, per vaſa exhalantia humor impellatur; hinc talorum tumores œdematoſi veſperem verſus oriuntur in plurimis, qui morbis longinquioribus langueſcunt.

Tumores viſcerum abdominalium per ſchirrum vel ſteatoma facti. Cadaverum ſectiones hydropicorum, ſigna antecedentia, et in multis exemplis præſentia, vitia viſcerum abdominalium, amplificationem, ſchirrum, et in primis hepatis

* Lib. citat. 3. Sect. 21. Ob. 8. Caſ. 7, 8, 9.

hepatis obſtructionem, hydropem ſæpe gignere, certiſſimè probant.

Præclarus SWIETENIUS has cauſas tractans, ita dicit: "Hæc frequentiſſima hydropis "cauſa obſervatur, et quidem adeò, ut, ſi ex-"cipiantur hydropes qui a potu frigido af-"fatim ingeſto oriuntur, uti et illi qui ab eva-"cuationibus nimiis ſanguinis fiunt, pauci "occurrant caſus in quibus non inveniatur "unum, vel et plura viſcera ſchirroſa *."

Exempla triginta a BONETO † collecta, quorum hepar diversùm morbo affectum, cauſa hydropis fuiſſe videtur. In uno exemplo hepatis ſpeciem deſcribit, quo "ligni naturam "imitaretur;" et aliam memorat FORESTUS, quæ "lapideam quaſi duritiem" aſſumpſerat.

Hepar

* Commentar. vol. iv. aphor. 1229. p. 195.

† Loc. cit. Obſ. 3.
Vid. etiam TULPII lib. 3. cap. 36. et HORSTII lib. iii. Obſ. 9.]

Hepar inflammationi duplicis generis obnoxium eſt, *acutæ* ſcilicet, et *chronicæ*. Hæc genera duo, in viſceris hujuſce amplificationem, vel conditionem ſchirroſam, frequenter degenerant. Aliis in exemplis, jecur amplificatum, aliis vero, exiguum, contractum, durum et gibboſum, aliis demum, tuberculis obſitum, apparet. Hepar contractum, non ſolùm conſolidatum, ſed jacturam ponderis veram ſuſtinuiſſe, compertum eſt *. Viſcus, ad munera ſua in corpore parùm idoneum factum, abſorbentibus tollitur, reſorptumque, non ſecùs ac moles animali inutilis aut nocua, corpore ejicitur.

Reditus ſanguinis ex viſceribus abdominalibus admodum inſignis eſt, et indè hydrops in abdomine ſæpiùs gignitur. Curſum ſanguinis ex his viſceribus ad cor redeuntis, per jecur tranſituri, breviter et accuratè celeberr. noſter Gregorius his verbis deſcribit: " Sanguis ab " omnibus viſceribus quæ cibi concoctioni

" inſerviunt,

* Saunders on the Liver, cap. 4. p. 179.

"inſerviunt, ventrìculo, inteſtinis, meſenteriâ,
"omento, pancreate, redux, in magnum vas
"defertur, venam ſcilicet portarum; quæ
"denuo, arteriæ more, per jecur diffuſa, in-
"gentem ſanguinis copiam ei defert: qui
"tandem, poſtquam fellis ſecretioni inſervie-
"rit, per cavam hepaticam, in magnam ca-
"vam et ad cor redit *." Ex hac deſcriptione, ſatis conſtat, totum ſanguinem per viſcera abdominis chylopoietica circulantem, in reditu ejus ad cor, per jecur ex neceſſario tranſmittendum eſſe. Hinc patet, cur aſcites tam ſæpè inſanabilis, vel anaſarca corporis univerſalis non minus lethalis, ex hepatis vitio, ſerius ocyuſve, ſequi poſſunt.

Jecoris morbi ad hydropem inducendum trifariam conferre videntur.

1. Jecur mole auctum, venam cavam inferiorem premendo, et in omnibus ejus ramis ſanguinem

* Conſpect. Med. § 424.

ſanguinem cumulando, exhalationem adauget.

2. Hepar durum, ſanguinique per venam portarum ferè impervium factum, coacervationem ſanguinis talem in abdominis venis efficit, ut tenuior pars ſanguinis per exhalantia impellatur, ſequaturque hydrops, in primis quidem *aſcites*.

3. Vitia denique hepatis diu provecta, aſſimilationem cibi depravando, aut reſpirationem impediendo, lapſum virium inſignem, guidumque humorum motum, inducunt; et propter relaxationem corporis generalem, fontem quidem hydropis frequentiſſimum, ad hunc morbum gignendum pollent.

Hìc tamen minimè celandum eſt, quod vitia hepatis ingentia ſine ullo hydrope Medicis plurimis notata ſunt. Dr Reumont in Diſſ. ſua Inaug. refert exemplum fœminæ inſigne, ei a Profeſſ. Rougemont communicatum, cujus

jus hepar 12 libras æquabat, et nodis ſteatomatoſis obſitum erat, abſque ullo hydrope *.

Tumores varii in abdomine ſiti, cum lienis, ventriculi, pancreatis ſchirri, tum ſteatomata, hydropes ſaccati, ob eandem rationem, venas ſingulares premendo, hydropem producere poſſunt; ſectioneſque cadaverum hanc conjecturam confirmant.

Inciſiones hydropicorum, a Boneto †, aliiſque, memoratæ, in quibus lienem ſolum vitiari detectum eſt, hujuſce viſceris morbos ad hydropem creandum valere, nos certiores faciunt. Dr D. Monro etiam hydropici exemplum vidit, in quo lien poſt mortem ſchirroſus et hydatitibus obſitus, 126 uncias pendebat. Idem cel. auctor, aſcitæ caſum, originem ſuam ex ventriculo ſchirroſo trahentis, memoravit: Plicæ ejus duræ, ſchirroſæ, prominentes, miris

* Vid. Diſſ. Inaug. de Aſcite 1793, p. 16. Etiam exemplum aliud in Richter, Med. und Chir. Bemerk. b. 1. p. 268.

† Bonet: loc. cit. Obſ. 6. et 7. Caſ. 4, 5, 6. 9.

ris modis convolutæ apparebant*. Hydropici exemplum, obſervatu dignum, ſed vix credibile quidem, in SCHENCKIO legendum, cujus lien xxiii. libras æquabat, quod his verbis deſcribit auctor; "ecce procedit lien "maximus, latiſſimus, ita ut totum impleret abdomen, ſuppreſſis inteſtinis et ventriculo †."

Exempla hydropis duo, in libro infradicto, quibus ſteatomata cauſam dederunt, promulgantur ‡.

Pari ratione effuſionem adaugent arteriarum aneuriſmata, fœtus in utero, aquæ moles in

G aſcite,

* Treatiſe on Dropſy, p. 16.
Confer etiam HOFFMAN. oper. loc. cit. § 10.

† SCHENCK. Obſ. Med. lib. 3. obſ. 9. de Liene; confer etiam, obſ. 10. De Hydrope.

‡ Edin. Med. Eſſays, vol. iv. art. 30. et vol. vi. art. 63. In SWIETEN. Comment. Aphoriſm 1239. et in D. MONRO loc. citat. alia hujuſmodi exempla invenienda ſunt.

ascite, hydropesque saccati. Polypus etiam in aliqua vena formatus, hydropem ad fines ejusdam genuit.

Causæ Generales exhalationis auctæ secundæ sunt eæ, quæ *sanguinis impetum in arteriis intendunt.*

Ex observationibus Doctoris Rush *, et nuperrimè Doctoris Grapengiesser †, hydropem a nimio sanguinis impetu, corporisque plethorâ, nonnunquam oriri, verisimile esse videtur.

Omnes hydropes in tonicos et atonicos a clar. Rush dividuntur. Dr Grapengiesser hydropem plethoricum genus peculiare facit, duas species complectens, quarum altera hydrops plethoricus *acutus*, alteraque *chronicus* appellatur. Hæ duæ quidem easdem causas agnoscunt,

* Med. Inq. et Observ. vol. ii. p. 163.

† Grapengiesser, Diss. Med. de Hydr. Pler. acut. in the Annals of Medicine, vol. i. art. 15. p. 176.

agnoſcunt, eorumque ſigna gradu tantum, conſtitutionumque varietate ægrotantium, inter ſe diſcrepant. Hydrops acutus, nimirum, temperamentum compagine corporis firmiore inſignitum, chronicus autem *phlegmaticos*, debilioreſque, tentat. Eorum Medicorum locupletiſſimæ auctoritati oppugnare nolumus; in his autem regionibus, talis morbus, ut hydrops *acutus*, quantum audivimus, Medicis vix innotuit.

Doctores Rush et Grapengiesser ſententiam ſuam de hujuſce morbi exiſtentia hiſce principiis ſtruunt.

Signa inflammatoria hydropi comites ſæpè ſe adjungunt. Teſtante enim Doctore Grapengiesser, viri compaginis robuſtæ firmioriſque, et ætate florentes, ab eo nonnunquam corripiuntur. Pulſus etiam frequentiores, pleni, aliquando duri, obſervantur. "This "kind of pulſe (ait Dr Rush) I have fre-"quently obſerved in every ſpecies of dropſy.

"It

"It is ſeldom otherwiſe in the beginning of "hydrothorax." Sin autem, nimiâ fluidorum quantitate vaſa debilitata fuerint, pulſus, quamvis adhuc pleni, tardiores fiunt *. ZIMMERMANNUS de Hydrope iſto loquens, qui vitam FREDERICI Regis PRUSSIÆ terminavit, pulſum fuiſſe plenum et fortem notavit. Morbi pectoris inflammatorii, teſtante iterum GRAPENGIESSER, hydrothoracem haud rarò antecedunt. Sanguis etiam detractus cruſtam inflammatoriam ſemper exhibet.

De natura hujuſce morbi, ſententiam iſtorum Medicorum ſtabilire videntur *juvantia* et *lædentia* in certis hydropum exemplis. Dr GRAPENGIESSER teſtimonio ſuo affirmat, remediis hydropum ſolitis adhibitis, ſpeciem terribilem induere morbum. Tumores hydropici ad rupturam uſque augeſcunt, ſæpeque ſuperveniunt, delirium, ſpaſmi, et apoplexia. Aliquando autem epiſtaxis accedens, criſin morbi

* GRAPENGIESSER.

morbi feliciorem efficit. In hydrope plethorico acuto etiam, ſanguine detracto, vel hæmorrhagiâ ſpontaneâ profiliente, reſpiratio paulò ante admodum laborioſa, nunc libera, pulſuſque frequentes, parvi et duri, mirandum in modum, pleniores et fortiores evadunt. Fluxu ſanguinis perſtante, copioſior urina fluit, tumoreſque hydropici mox effugiunt. Dr Rush plurimos hydropes, remediis debilitantibus, quales ſunt, diæta parca, jejunium, horrorque, ſanatos memorat.

Sectiones denique cadaverum ex hoc morbo mortuorum, hydropis hujuſce ſpeciei naturam, in lucem protulerunt; et nihil his præſtantius eſſe videtur ad naturam morbi cognoſcendam. Aqua in cranio, thorace, et ſæpè per totum corpus effuſa, ſimul vaſa majora ſanguine turgentia reperta ſunt. In ſpecie acuta, inflammationes maximæ, ſpatiumque haud parvum occupantes, conſpiciebantur *.

Pro

* Grapengiesser.

Pro causis hydropis *plethorici* excitantibus, hæmorrhagiæ solitæ suppressæ, partium internarum inflammationes, exanthemata retropulsa, perspiratio obstructa, diarrhœaque subitò suppressa, a Grapengiesser recensentur.

Causæ ordine sequentes illæ sunt, quæ corpus *atoniam* faciendo, vasis exhalantibus effusionem adaugent.

Atoniam et corporis *relaxationem*, undecunque nascentes, fontes hydropis uberrimos, Medici uno ore recognoscunt. Anasarca in artubus paralyticis sese ostendens, ascites ista parturitioni in debilibus nonnunquam superveniens, (pressurâ fœtus, nempè, vasis ex improviso sublatâ), hanc rem satis docent. Conditio corporis ista, causis debilitantibus genita, hydropique viam sternens, *diathesis hydropica* nominatur. Nonnunquam vero talis corporis conditio diu perstans eo usque ingravescit, ut sola, nullâ aliâ causâ adjectâ, justum et manifestum

feſtum morbum faciat * ; vel aliis hydropis cauſis, ut plenum ſuum effectum edent, apponi poteſt.

Ab omnibus vero ſatis intelligitur, quam multiplices debilitatis cauſæ eſſe queant: Sequentes præcipuè memorandæ ſunt.

Evacuationes omnigenæ immodicæ, ſanguinis præſertim; diæta corporis jacturæ impar; frigoris cum humiditate applicatio; morbi diuturniores, veluti intermittentes febres, dyſpepſia; exercitatio vel labor violentus; Venus nimia; frequentiſſiméque ebrioſitas quotidiana, maximè ex liquorum ardentium abuſu; quæ omnia corpus debilitando, hunc dirum morbum inducunt. Uſum diurnum medicaminum aſtringentium, veluti Pulveris Portlandici in podagra, morbum, de quo nunc ſermo eſt, progeneraſſe dicitur.

* Greg. Conſpect. p. 25.

Causæ *quæ ſanguinem* præter naturam *attenuant*, nunc in deliberationem cadunt.

Aucta ſanguinis *attenuatio* hydropem per ſe inducere valet; vel talis conditio aliis cauſis adjecta, ad morbum gignendum admodùm confert.

Iſte fluidus cava corporis irrorans, ob ſanguinem minus ſolutum, tum ob vaſa relaxata, languidèque renitentia, facilius et copioſius juſto per exhalantia elabitur. Ex experimento pulcherrimo Halesii, patet, magnam aquæ vim in ſanguine exiſtentem, non ab arteriis in venas, ſed potius per vaſa exhalantia tranſeuntem in corporis cava deponi. Clar. Swietenius Halesii experimentum his verbis citat; " dum pergebat per tubum carotidi ar-
" teriæ affixum aquam infundere, venis jugu-
" laribus quamvis ſecundum longitudinem
" fiſſis, non exivit libere aqua per has apertu-
" ras; ſed omnes corporis partes incipiebant
" tumere et fiebat univerſalis hydrops; ubera
" diſtendebantur;

" diſtendebantur; omnes muſculi turgebant;
" interſtitiis inter fibras eorum repletis aquâ.
" Interim non majori vi aqua premebatur
" per aterias, quam erat vis cordis in ſtatu
" naturali *."

Aqua in ſanguine variis cauſis redundat. Status fluidorum ſanus ab actione vaſorum vigente in primis pendet. Hinc omnia quæ univerſim debilitant, vaſis in contenta ſua minus agentibus, ſanguinem nimis tenuem reddunt, hydropemque faciunt.

Aquæ copia in ſanguine potu nimio aquoſo frequenter creſcit. Dum corpus viget, excretioneſque probè peraguntur, permagna fluidorum copia ſine ulla injuria exhauritur; excretis namque tenuioribus multùm auctis, per urinæ vias, vel per vaſa cutanea, e corpore ſtatim dijicitur. Debilitato autem corpore, abſorbentium actio minuitur, excretiones malè

* Van Swiet. Comm. vol. iv. aph. 1228.

abſolvuntur, fluidaque exhauſta in corpore retenta, in cavis diverſis deponuntur.

Cauſæ fortuitò concurrentes ad hunc effectum haud parum conferunt. Hoc modo, aqua frigida avidè reſorpta, corpore calente, vaſa excretoria conſtringendo, hydropem derepentè genuit. Aqua etiam ex atmoſphæra reſorpta tenuitatem ſanguinis adaugere poteſt, eoque faciliùs, ſi corpus relaxatum ſit, et circulatio ad ſuperficiem langueſcat. Copia fluidorum ferè incredibilis per has vias corpus intrare queat, ut clar. Edv. Ford experimento confirmavit. In fœmina hydrope ovarii laborante, (corporis pondere ad experimenti initium et finem æquali exiſtente), fluida per urinam et paracenteſin 18 ſpatio dierum educta 1298 uncias, liquida in dicto ſpatio per os aſſumpta 692 uncias ſolummodo æquabat; hinc patet, fluida per cutis et pulmonis ſuperficies inhalata 606 unciis æqua fuiſſe *.

Pars

* Lond. Med. Comm. vol. ii. 1790.

Pars ſanguinis aquoſa præ cæteris exuberabit, cum excreta ſolita ab ulla cauſa ſuppreſſa fuerint. Hinc frigus et humiditas conjunctim corpori admota, perſpirationem obſtruendo, et ſanguinem aquæ copiam nimiam ſuppeditando, ſuos effectus edunt. Urinæ ſecretionis diminutio, non ſolum pro effectu, ſed quoque hydropis cauſa, ſæpè habenda eſt. Nil dubitandum, quin aqua, quæ per has vias e corpore eliminanda, in cavis corporis diverſis vel telâ cellulosâ deponi poteſt, ſolaque ad hydropem producendum, vel novum ei pabulum præbendum, conferat.

Exinanitiones ſanguinis largæ vel ſponte vel arte factæ, aqueam ejus partem, pro rata parte, maximè adaugent. Nemini enim ignotum, ſeroſitatem faciliùs, et multo ante gluten aut particulas rubras, reparari. Hinc quantitas multò citiùs qualitate ſanguinis renovatur. Hinc ſerum exuberat, partes dum craſſæ, quibus maximè valet ſanguis, deficiunt. Oriuntur

ex

ex crassarum partium inopia, vultus pallens, corpus debile, torpidumque, partes solidæ laxissimæ, tumoresque demum hydropici, viresque adeò imminutæ, ut corroborantibus multis renovari non possint.. Fonticuli largiores, et diuturni, glutinis magnam copiam e sanguine abstrahentes, eodem modo, nocere videntur.

Fit porrò nimis tenuis sanguis assimilationis alimenti defectu. Concoctione enim depravatâ, quantitas partium crassarum, glutinis nimirum, et particularum rubrarum debita non paratur, serum adeoque abundat. Doctiss. SWIETENIUS his verbis de hac re sagaciter observat: " Nec chylum possunt in bonum et " firmum sanguinem mutare; hinc incipit " deficere pars rubra," (et gluten), " in sanguine; et cum hæ partes omnium crassissimæ sunt, tota massa humorum in majorem " tenuitatem degenerat, cachectica fiunt corpora, et si nimis attenuata fluida difflentur " de corpore, marasmus sequitur, si maneant

" in

"in corpore, in cavis accumulantur, fiuntque "leucophlegmatia et hydrops *." Propter cauſam ſupradictam etiam, effuſiones hydropicæ haud raró *Chloroſin* comitantur.

Platerus † hydropis exemplum refert e veſica rupta, et Bonetus ‡ plurima e veſica aut renis eroſis naſcentia, memoriæ tradidit.

De *ruptura lymphaticorum* hìc breviter diſceptandum eſt.

Hæc vero hydropis cauſa eſt rariſſima: vaſa enim lymphatica ſine ruptura mirificè diſtendi poſſunt, et Lower experimentum ad hanc rem probandam attulit: "quippe (dicit hic) pluri-"mas oves hydrope pectoris defunctas diſſecui, "in quibus vaſa lymphatica ita turgida et reple-"ta ut nuſquam magis ‖," &c. Quanquam autem hydrops ab hac cauſa raró originem ducit, minimè

* V. Swietenii Comm. vol. iv. aph. 1228. p. 190.

† Plateri Praxeos lib. 3. cap. 3.

‡ Loc. cit. lib. 3. Sect. 21. Ob. 8. Caſ. 2.

‖ Lower Tractat. de Corde, cap. 2. p. 126.

minimè tamen negandum, lymphatici rupturam in nonnullis exemplis morbum inducere posse. Si lymphaticorum rami, vel ductus ipse thoracicus, comprimantur vel obstruantur, quomodo eorum ruptura sequi potest, facilè intelligendum. Dr D. MONRO duo hydropis exempla citat, a ruptis lymphaticis nascentia. In altero, " circa tertiam vel quartam vertebram thoracis hominis mortui post paracentesin thoracis institutam, quâ exitus præbebatur largæ liquoris chylosi copiæ, foramen inventum est, e quo, tanquam e fonte, chylosa materies effluxit *." In altero, " Puella nimium enixa dum onus sublevare tentaret brevi postquam hydropica devenit, ex punctura sæpiùs repetita effluxit semper materies chylosa †."

Idem auctor, ductu thoracico canis vivi constricto, vel receptaculum chyli, vel lymphaticorum

* Diss. Inaug. e BASSII Obs. dec. 2. obs. 7.

† Mem. de l'Acad. Roy, des Scienc. 1700. 1710.

phaticorum ramos majores quoſdam ruptos fuiſſe ſemper notavit *. MORTON puelli aſcitici caſum vidit, e cujus abdomine, dum vixit, ope paracenteſis plurimas libras chyli lacteſcentis, dulcis, qualis in ipſo ductu chylifero reperitur, eduxit. Secto cadavere, pulmones ſanos invenit, " niſi quod in poſtica parte, " glandulæ apparerent admodum numeroſæ, " eæque ſatis inſignes et duræ, egregiam preſ- " ſuram ſuper ipſum ductum thoracicum fa- " cientes, fere qua parte venam ſubclaviam " pertingit; erantque adeò inſignis ponderis " et molis, quod ob preſſuram ſuper ductum " inde factam, ac ſi a faſcia injecta difficile " admodum videbatur, ſi omninò poſſibile, ut " chylus ſeſe in ſanguinem trajiceret †."

Extirpatis glandulis quibuſdam, vel ſectis vaſis lymphaticis, in artubus oritur œdema, ut

cel.

* Loc. cit. p. 24.

† Phthiſiologiæ, lib. 1. cap. 10. p. 21.

cel. Bell tradidit *. Glandulâ axillari extirpatâ, œdema brachii natum vidit clar. Cruickshank; idemque Soemering † pluries ſe vidiſſe dicit.

Ex hiſce omnibus ſatis conſtat, rupturam vaſorum lymphaticorum inter hydropum cauſas enumerari debere.

De *abſorptione imminuta* pro cauſa Hydropis reſtat ut pauca diſſeramus.

Absorptio e duabus cauſis minui poteſt.

1. E vaſorum abſorbentium atonia vel paralyſi.

2. E vaſorum eorundam vel glandularum conglobatarum conditione morbida et obſtructa.

1. E

* Bell's Syſt. of Surg. vol. v. cap. 38. § 3. p. 502.

† De Morbis Vaſorum Abſorb. p. 129.

1. Vaſa reſorbentia, irritabilitate inſigni, aut vi iſtâ, quâ, ſtimulo admoto, ſeſe contrahant, et contenta ſua ductum thoracicum verſus impellant, prædita ſunt. Structura fibroſa a præclaris anatomicis Hewsonio * et Cruickshanks demonſtrata †, et vis contractionis, ſtimulis iis applicatis, ab Hallero ‡ obſervata, naturam et vim muſculoſam in tunicis eorum ineſſe, noſtro ſaltem judicio, certiſſimè probant.

Corpori ſano et morboſo abſorptio longè diverſa eſt. Valet dum corpus, functioneſque diverſæ validè peraguntur, ſi fortè fluidorum exhalatio creſcatur, vaſorum abſorbentium vi pro rata parte auctâ, illico reſorbetur aqua abundans, per ſeroſa excretoria e corpore ejicienda.

I Experimentum

* Exp. Inq. vol. iii. p. 121.

† Winterbottom, Inaug. Diſſ. in Theſ. Med.

‡ Halleri Element. Phyſiolog. tom. i. c. 2. ſ. 3.

Experimentum a MUSGRAVIO in cane inſtitutum, a SWIETENIO citatum, hanc rem clarè monſtrat; "per ſyphonem injecit uncias iv.
" aquæ calidæ in dextram partem thoracis
" canis vivi, unde difficultas reſpirationis ſe-
" quebatur, et manifeſta debilitas; tamen ſuc-
" ceſſivè minuebantur hæ moleſtiæ, et ſepti-
" manæ ſpatio æque ſanum videbatur animal
" ac antea fuerat; poſtea ſimili modo injecit
" 16 uncias aquæ calidæ in ſiniſtrum thoracis
" cavum ejuſdam canis; reſpiratio erat diffi-
" cilis, animal calebat admodum, et cor vali-
" diſſimè pulſabat: Intra ſeptimanæ ſpatium
" convaluit canis. Poſtea in unum thoracis
" cavum aquæ calidæ uncias xviii. injecit, in
" alterum ſex tantum; eadem omninò ſymp-
" tomata ſequebantur, ſed citiùs evaneſcebant.
" Poſt quinque enim dies perfectè convaluit
" canis. Simul obſervavit, copiam urinæ ſo-
" lito majorem excreviſſe hoc animal *."

Si

* Comment. vol. iv. p. 129. e MUSGRAVIO in Phil. Tranſ. Abrid. vol. iii. p. 78.

Si corpus autem e ſanitate firma admodum deflexerit, res longè aliter ſeſe habebit; corpus enim langueſcit, vires labuntur, vaſa et ſanguinea et abſorbentia imbecilliter nitentia, tardè et vix contenta ſua promovent. Vi contractionis in his vaſis minutâ, vel prorſus deletâ, iſtum humorem, cava corporis, et interſtitia telæ celluloſæ madens, reſorberi nequit. Hæ vero cauſæ, quæ exhalantium relaxationem inducunt, ad vaſa abſorbentia etiam extendi poſſunt.

Ab eorum paralyſi, dilatatio, et in diametro amplificatio, (ſagaciſſimo Profeſſore Rutherford teſtante), hinc ex neceſſario ſequentur. Ab hoc aucto diametro, (ut ſolito acumine obſervat idem), valvulæ eorum vaſorum muneribus minimè adamuſſim funguntur; e contrariò quidem, muſculi vicini ſeſe contrahentes, vaſa ad contenta ſua propellanda non adjuvant, ſed potius lymphæ regurgitationem faciunt. Gnarus etiam rerum anatomicarum, vaſa abſorbentia

ſorbentia in cadaveribus hydropicis contra valvulas ſuas injici poſſe, notavit *.

Hæc vaſorum abſorbentium dilatatio, in corporibus hydrope mortuis, anatomicis minimè latuit. Secundum enim MORGAGNI in multis hujuſmodi exemplis "Lymphæductus" turgent in ventribus, adeo ut ramos amplificatos pennas equaſſe memoret †.

Plurima hydropum remedia, quæ contra hunc morbum aliquid pollere reperiuntur, ea ſunt, quæ maximè ad augendam abſorptionem, parumque ad exhalationem minuendam, conferre videntur.

CAUSÆ ſunt multiplices, et variæ, quæ vaſorum abſorbentium capacitatem minuendo, vel glandulas eorum obſtruendo, per utrumque lymphæ tranſitum impediunt.

Venenæ

* Prælect. Clinic.

† De Cauſis et Sedib. Morbor. Epiſt. 16. Art. 4. et Epiſt. 38. Art 10. 13.

Venenæ diverſæ, quales ſunt cantharides e veſicatorio, virus ex ulcuſculo venereo, variolarum materies, abſorptæ, et per vaſa lymphatica diffuſæ, tunicas eorum irritabiles inflammationi obnoxias eſſe, ſatis monſtrant. Talibus enim irritantibus, ea adeo tument inflammatione et indureſcunt, ut a parte unde acor iis ſorbetur in glandulas conglobatas continuas, digito premente, ſat facilè diſtingui poſſint. Tunicis abſorbentium ita denſatis, hæc vaſa fluidis vix pervia evadunt.

Glandulæ conglobatæ etiam, æquè ac vaſa abſorbentia, haud rarò male ſe habent. Hæ partes enim, præter inflammationem, ſæpiſſimè ſchirro laborantes, mole augentur, indurantur, et omninò fere obſtruuntur. Variolarum materie in brachium inſitâ, glandulæ ſub axilla frequenter tument, dolentque.

Licet vaſorum abſorbentium et glandularum conglobatorum obſtructionem inter hydropis cauſas enumeravimus, eam tamen rariſſimè

hunc

hunc morbum inducere fatendum eſt. CULLENUS Peritiſſim. de hac re multò dubitare videtur, cum ita dicit, "As the lymphatics "have branches frequently communicating "with each other, it is not probable that the "obſtruction of any one, or even ſeveral of "theſe, can have any conſiderable effect in "interrupting the abſorption of their extre-"mities." "And for the ſame reaſon, it is "as little probable that the obſtruction of the "conglobate glands can have ſuch an effect;" "and, accordingly, I have known ſeveral in-"ſtances of moſt part of the meſenteric glands "being conſiderably tumefied, without either "interrupting the tranſmiſſion of fluids to the "blood veſſels, or occaſioning dropſy *."

A tali cauſa tamen BONETUS † exemplum hydropis ab HARDERO ‡ citatum memoravit; "ventris

* Firſt Lines, p. 275. vol. iv.

† Loc. citat.

‡ Miſcell. Curioſ. 1672.

"ventris tumorem aſciticum cum tuberibus, e "glandulis meſentericis induratis." Alterum ejuſmodi Rudnicius * his verbis protulit; "hydropico obſervavi (ait ille) omnes glan-"dulas infimi ventris, tam internas meſenterii, "quam externas abdominis, induratas, impri-"mis illas copioſiſſimè regioni lumbari in-"cumbentes." Attamen hæc cauſa fortaſſe, potius debilitando, quàm obſtruendo, hydropem inducit.

Causæ compreſſionis diverſæ, quæ venas rubras premendo, exhalationem adaugent, eodem ratione ramos abſorbentium afficientes, lymphæ tranſitum per eoſdam impedire poſſunt. Sherbius a diverſo obſtructionis fonte, concretione nempè in receptaculo chyli hærente, exemplum memoriæ tradidit †.

PRO-

* Idem, 1673.

† Halleri Diſp. Med. tom. iii. p. 536.

PROGNOSIS.

Mala inter innumera, homines quibus obnoxii ſunt, quibuſque deſidia, luxuria, voluptas, cæteraque vitia ſæculi noſtri, anſam maximè præbent, eximius eſt dirus et ſæpè immedicabilis hydrops: Prognoſis ideo, in plurimis ſaltem exemplis, infeliciſſima!

De felice aut infelice morbi eventu præcipuè judicamus;

1. Ex cauſarum notitia quæ morbum genuerunt;

2. E temporis ſpatio per quod hydrops duraverit;

3. Ex ætate, robore, et temperamento ægroti;

4. E viſcerum functionibus aquâ circundatorum.

Si

Si ægrotus ætate integrâ floreat, viribus parum fractis; si causas sanabiles, veluti frigus, exanthemata retropulsa, menstruas vel hæmorrhoidem coërcitas, similesque, morbus agnoscat; non parva spes salutis affulget.

E contrario autem, si ægrotus sit provectiore ætate; si vitia organica, cordis, jecoris, pulmonisve, hydropi causam dederint; si morbus diu perstiterit; si tussis valdè urgeat; si erecto cervice æger spirare cogatur; si e prima somni blanditia, suffocationis metu, subitò excitetur; si dolores abdominis gravissimi torqueant; si horum omnia aut plurima adsint, periculi sunt plena, et morbum lethalem præsagiunt.

Hydrothorax ex impedita respiratione multo periculosior est ascite vel anasarcâ.

Minus terribilis est hicce morbus, cæteris paribus, si urinæ nec parcè fluant, nec sitis multùm urgeat; si remedia idonea cum fructu

quodam adminiftrentur; fi vires parùm deficiant; fi pulfus fiant ferè naturales.

Auctores diverfi fanationes inopinatas, a vomitu fpontaneo *, ruptura umbilici †, fingularis appetitûs indulgentia, meminerunt.

CURATIO.

Confilia medendi tria funt;

Primum eft, caufas remotas tollere;

Secundum, aquas collectas educere;

Tertium demum, morbi reditui obftare, tonum corpori reficiendo.

Horum confiliorum, nunc primum, nunc fecundum, præcipuum eft. Ex indiciis urgentibus, præcipuè vero ex impeditis, propter partes aquâ diftentas, functionibus vitalibus, in-

* Treatife on Foxglove. WITHERING.

† Monita et Præcepta Medica. MEAD.

Exemplum etiam in Edin. Med. Effays vol. iii. Obf. 8. videndum eft.

in primis refpiratione, nonnunquam fit, ut aquam ftatim ad fervandum ægrotum educere neceffe fit. Paracentefi quoque, antequam confilium primum expleri poffit, fæpè opus eft. Porrò, in nonnullis exemplis, propter aquæ preffuram fuper renes, vis diureticorum potentiffimorum, donec aquæ pars faltem educatur, omninò impeditur. Utrumque etiam confilium eodem remedio fæpè feliciffimè abfolvitur; vel ex junctis medicamentis, et aquam exhaurire, et caufas remotas amovere poffumus. Ex. gratiâ, fi morbus ex perfpiratione obftructa nafcatur, fudorifica vel per fe, vel cum balneo calido adjecto, utrique confilio æquè inferviunt. Si morbus vifcerum male fe habentium fequela fit, vitium organicum, hydrargyro folo, vel cum fcilla juncto, difcutatur, aquaque fimul educatur.

CON-

CONSILIUM PRIMUM.

CAUSAS REMOTAS TOLLERE.

Si *hydrops* ex atonia et debilitate totius corporis, in primis exhalantium et abſorbentium, naſcatur; ad remedia corroborantia, unde priſtinæ vires reficiantur, recurrendum eſt.

Inter hujuſce generis remedia, cinchona, ferrum, victus nutriens, vinum, frictiones, exercitatio, maximè valent.

Si ſtatus corporis contrarius, vis nempè vaſorum aucta, (de quo ſupradictum eſt), adſit, remedia vaſorum hanc vim minuentia, ut tollatur ea corporis conditio, e qua pendet hydrops, maximè idonea eſſe videntur.

Sanguinis detractio. Hoc quidem anceps eſt remedium, adeòque in hydrope maximâ cau-

tione

tione utendum. Si conditio autem corporis jam memorata, vel topica inflammatio visceris internæ adsit, tutò et utiliter sanguis detrahi potest. Cel. HOFFMAN *, et Præclarus HOME †, sanguinis detractionem, in paucis exemplis, cum eventu morbi secundo, adhibuerunt. Hæmorrhagiæ ‡ sponte prorumpentes etiam, remediis diureticis, &c., prius frustra tentatis, ad sanitatem ægros reduxisse feruntur. Dr RUSH || hoc remedium in plurimis hydropibus maximè laudat, et semel ascitem, terque anasarcam, per missionem sanguinis se sanasse affirmat.

Dr D. MONRO § exemplum e SPONIO citat, in

* Lib. citat. (Cap.) de Hydrope.

† Clin. Exp. on the use of Chryst. of Tart. in Dropsy.

‡ Vide exemplum in CRUICKSHANK on the Absorbents. Confer etiam GRAPENGIESSER, loc. cit.

|| Med. Inq. vol. ii. p. 170.

§ Loc. cit. p. 43. Confer etiam HILDAN. Observ. cent. 1. obs. 50.

in quo, ſanguine vicies detracto, demum ceſſavit morbus.

Abſtinentia a potu. Veteres hanc duram crudelemque praxin ad hydropem ſanandum admodum neceſſariam eſſe putârunt. "Inter "initia (ait CELSUS) non difficillima curatio "eſt, ſi imperata ſunt corpori, quies, ſitis, et "inedia:" iterum, "Potio non ultra dan-"da eſt, quàm ut vitam ſuſtineat *."

Plurimæ autem curationes ab uſu diluentium ſolo, aquis, verbi causâ, mineralibus largè exhauſtis, a ſcriptoribus haud paucis memoratæ ſunt. Diluentia quoque diureticis variis adjuvantia ad urinam ciendam magnoperè conducun t. Aquam, tanquam hydropis medicamentum, HOMIUS egreg. æſtimat; eique aſſentit CULLENUS, "That there is hardly any "diuretic more certainly powerful, than a "large

* De Medicin. cap. 21. lib. 3.

" large quantity of water taken in by drink-
" ing*."

His perpenſis, concludere licet, non ſolùm potum non nocere, ſed plerumque in hydrope multùm prodeſſe.

Si cauſa mali remota ex viſceribus obſtructis, exempli gratiâ, hepatis ſchirro, generetur, medicamenta quæ tales obſtructiones ſolvunt, præſertim *Hydrargyrus*, adhibenda.

Si ex liquoribus ardentibus largè uſis hydrops originem ſuam ducat, æger ſummâ curâ illos evitare debet. Si autem vires minuantur, et appetitus deficiat, aſſuetis potationibus intermiſſis, tunc " non ſolùm ex malis eligere " nos minima oportet, ſed etiam ex his ipſis " excerpere, ſi quid ineſſet boni." Hinc liquorum ſtimulantium uſus, quo vita brevi ſervetur, quantitate autem gradatim minutâ, concedendus.

Si

* Firſt Lines.

Couper etiam Millman de Hydrope.

Si ſcabies retropulſa, aut aliorum morborum qui cutem obtinent ſuppreſſio anteceſſerit, præter remedia ex antimonio et ſulphure, veſicantia, et ſimilia, inſitionem ſcabiei monet BURZERIUS *.

CONSILIUM SECUNDUM.

AQUAS COLLECTAS EDUCERE.

Sequentia huic rei inſerviunt:

1. Cutis puncturæ et paracenteſis;

2. Ea Medicamenta quæ abſorbentium vim augent, quibus fluidum effuſum reſorbeatur, reſorptumque ad excretoria corporis vertatur.

1. Multi, veſicatoria, ſetacea, et inciſiones, ad aquas anaſarcæ educendas laudarunt. Cum

* Inſtit. Medic. Pract. vol. iv. De hydrope pect. et pulmon.

Cùm autem notiſſimum eſt, vulnera leviſſima, tali in corporis ſtatu, in *eryſipelate* et *gangræna* ſemper ferè deſinere, veſicatoria et ſetacea nunquam, inciſiones raro, adhibere debent. Neque *puncturæ* quidem unquam agendæ, niſi propter magnam partium diſtentionem ruptura, quæ vulnere ſcalpello facto periculoſior ſit, immineat.

Paracenteſis Thoracis. Cùm hydrothorax (ut antea dictum eſt) certo et pathognomico ſigno ſæpiſſimè caret, fluctuatione in omni ferè exemplo abſente, paracenteſis in thoracem, noſtro judicio, rariſſimè adhibenda. Aſt ſine periculo certè fieri poteſt, paucisque etiam exemplis, ſalutem adtuliſſe fertur *. Si aquam igitur fluctuantem percipiat medicus (quod raro quidem accidit), ſi indicia vehementiſſima mortem inſtantem minantia adſint, remediis aliis ſine effectu jam adhibitis, ad paracenteſin

 thoracis,

* Vide in Phil. Tranſ. vol. lvi. p. 302. exemplum feliciter terminatum a thorac. punctura.

thoracis, tanquam extremum remedium, recurrendum eſt.

Paracenteſis abdominis. De aſcitis ſtadio, quo feliciſſimè fiat paracenteſis, medici inter ſe magnoperè diſcrepant. Paracenteſis ſub initio morbi facta a FOTHERGILL * commendatur, eamque effectu carere morâ exiſtimat.

Quoniam autem, paracenteſi factâ, multò citiùs renaſcitur humor in aſcite, et quoniam ægrotus miſeram ſuam conditionem hinc magis ſentit, niſi propter auctam diſtentionem immineat periculum, noſtrâ quidem ſententiâ, medicamenta, quæ ad aquam deducendam maximè conducunt, primùm adminiſtranda, nec paracenteſis, niſi hiſce fruſtra tentatis, adhibenda.

Injectiones quibus de reditu morbi caveatur a nonnullis propoſitæ ſunt; propter autem effectum

* FOTHERGILL's Works. On the uſe of tapping early in dropſies, p. 283.

fectum incertum, et discrimen, rarò aut nunquam (quantum audivimus) tentatæ sunt.

Remedia interna, quæ aquæ deducendæ inserviunt, sunt *Emetica*, *Cathartica*, *Diuretica*, et *Sudorifica*.

I. EMETICA. Quia hydrops nonnunquam tollitur per vomitum spontaneum, emetica laudata sunt. Vomitum maximè absorptionem promovere res plurimæ testantur. CRUICKSHANK* hydropici tumoris genu exemplum narrat, quod, vomitione a casu factâ, ex improviso evanuit. Alterum, nec minus mirabile, a celeb. HUNTERO memoratur, in quo, a nausea et vomitu ex navigatione genitis, pus in bubone collectum subito resorptum fuit.

SYDENHAMUS † usum *antimonii* ad vomitiones concitandas in hoc morbo multum approbat. Ex modo quem in *scilla* adhibenda Prof.

HOME

* Letter to Clare, p. 166:

† SYDENH. Opera, p. 494.

HOME * ſecutus eſt, emeticorum vis in aqua corpore educenda magis adhuc confirmari videtur. Ex decem hydrope laborantibus ſeptem convaluerunt, quorum ſinguli ex ſcillis exhibitis vomuerunt; tres autem non ſani facti, quibus non ciebatur vomitus †.

II. CATHARTICA. Quoniam cathartica ab ægris hydropicis meliùs emeticis ſuſtinentur, eorum uſus frequentior eſt. Cathartica præ omnibus aliis medicamentis ad fluida ſeroſa evacuanda maximè valent; et quoniam ea omnia, præcipuè vero draſtica, corpus totum ſtimulando, abſorptionem augent, inter remedia efficaciſſima ponuntur.

Inter varia medicamenta cathartica, quæ hydrope proſunt, ſequentia præcipuè enumeranda; gambogia, elaterium, colloquintida, ſcammonia, jalappa, rhamnus catharticus, iris paluſtris, cortex ebuli, plurimaque alia, quæ ſingulatim

* Clin. Exp. p. 390.

† Ibid.

ſingulatim deſcribere tædium fuerit. Cathartica, modò ſeparatim, modò vero conjunctim, v. g. *gambogia* cum *calomelane* conjuncta, *jalappa* cum *chryſtallis tartari*, utiliter adminiſtranda.

III. Diuretica. Medicamenta quæ urinam movent ad aquas in hydrope educendas maximè proſunt; " Veriſſimum tamen eſt, " (ait elegantiſſ. auctor Conſpectûs), et maximè dolendum, eorum effectus adeo eſſe " incertos, ut nemo medicus polliceri poſſit " ſe ægro cuiquam per ulla medicamenta urinam eſſe moturum; ſæpè enim quæ jure " validiſſima habentur, urinam ne minimum " quidem movent *."

Omnia medicamenta diuretica in hydrope adhibita adeo numeroſa, ut ægrè et ſine fructu quidem recenſerentur; ſatis habendum, ea quæ præcipua et potentiſſima, enumerare.

Diverſa

* Conſpect. Med. Th. vol. ii. p. 268.

Diverſa ſalina, ſicut acida mineralia, et vegetabilia, præſertim acidum tartaricum, ſales etiam alcalini, ſaleſque medii, veluti lixiva nitrata, lixiva acetata, cæteraque multa, ad urinas ciendas plus minuſve adjuvant; ſed longè præ aliis,

Chryſtalli tartari, vel *tartaris potaſſæ acidulus.* Poſt MANGHINI * celeberr. Prof. HOME †, ex plurimis experimentis in *noſtro Noſocomio* factis, virtutes hujuſce medicamenti inſignes ſatis confirmavit. Veſtigia ſolertiſſ. HOME ſequens nuperrimè Dr FERRIAR ‡, ex periculis ejuſdam generis in Noſocomio MANCUNENSI, virium chryſt. tartari confirmationem ulteriorem præbuit. Ex his, hi medici ſagaces, ad hunc morbum tam ſæpè læthalem vincendum, inter præcipua et certiſſima *Hydrogoga* hoc remedium rectè collocarunt.

Chryſtalli

* Mem. de l'Acad. de Bologne tom. iv.

† Clin. Exp. p. 378. et ſequ.

‡ Med. Hiſt. et Reflex. vol. i. et ii. Art. Remedies of Dropſy.

Chryſtalli tartari nonnunquam urinam movere, ſæpè alvum ciere, a medicis jam dictis reperti ſunt. Hoc medicamentum autem tumores multo magis pro rata parte ſæpè minuere, quàm evacuationes urinæ et alvi promovere, viſum eſt. Hinc obſervat Dr Home plurima medicamenta, quæ potentiſſima diuretica habentur, minimè ad aquas tantum educendas conferre. Ex hydropis exemplis xx. quibus Dr Home hoc remedium exhibuit, xiii. convaluerunt. Teſtante eodem auctore, maximas vires in anaſarca, minores in aſcite, minimas quidem in hydrothorace, edidit. Idem medicus, magnam vim ad obſtructiones, præſertim hepatis, removendas, chryſtallis tartari attribuit. Re ita ſe habente, primo et ſecundo conſilio in plurimis aſcitis exemplis maximè inſervit hoc remedium.

Ut effectus ſuos medicamentum edat, in doſibus largis præbendum eſt. Drachmæ duæ vel tres ſingulis horis ad alvi ſolutionem, vel

ad

ad urinam emittendam, ex ſyrupo tenui vel lacte ebutyrato, adminiſtrari debent. In quibuſdam exemplis, cathartici ejuſdem effectus, granis aliquot *gambogiæ* additis, aptè augeri poſſunt.

Tentamina chryſtallorum tartari a Doctore FERRIAR facta, vires ejuſdam valentiſſimas in hydrope haud parum comprobant. Ex ægris hydropicis enim 43 quibus medicamentum adminiſtratur, 33 horum ſanati; 9 mortui; et tribus ab ejus uſu factus eſt morbus mitior.

Hoc ex levi operatione remedium, multis aliis, quæ ſigna in corpore gravia gignunt, multò anteponendum. Ita enim curationem exercentur requiei conſulentes ægrotantium, quæ, cum fieri poſſit, nunquam negligenda.

Scilla. Inter remedia diuretica, et antihydropica, nullum fortaſſè magis, quam *ſcilla*, ab omnibus ferè medicis, et recentioribus, et antiquioribus, laudatum eſt. Nec brevis huic fama ut aliis hujuſce generis, ſed per tempus

longum

longum ſuperſtes, rapacem multis ſpoliavit mortem.

Scillam cum *nitro* junctam ad urinam promovendam commendat Dr Wagner.

Doſis larga ſcillæ primùm vomitum efficit, abdomen tormine torquet, et cibi appetitus ab ea depravatur. Hinc in minimis doſibus et cum aromaticis juncta adhiberi debet.

Hydrargyrus quidem, nullo adjecto diuretico, vaſa abſorbentia ſtimulando, et excreta diverſa augendo, abſorptionem humoris efficit, abſorptumque fluidum, per vias urinarias, vel per alvum, vel demum per glandulas ſalivares, e corpore pellit.

Hydrargyrus autem cum *ſcilla* junctus maximè prodeſt. "Hoc autem certius (ait Prof. "Gregory) adhuc facit, ſi non ſolum datum "fuerit, ſed una cum alio medicamento, veluti ſcilla, quod id quaſi ad renes dirigat." "Hujuſmodi compoſitio et conjunctio medi-

" camentorum, remedium diureticum omnium " ferè quæ hactenus cognita fuerint efficaciſ- " ſimum præbet *." Idem etiam experientiâ doctus ſcillam, et hydrargyrum muriatum mitem, ſejunctim ſæpè exhibet, hydrargyrum nocte, ſcillam luce. Somnus mercurii actioni ad laticem reſorbendum favet, aërque frigidus, et exercitatio, fluidum ad renes dirigendos ſcillam haud parum adjuvant.

Hydrargyrus quidem diureticorum uſui viam ſæpè ſternit; namque idem medicus, hydrargyro adeo ut os leniter afficiat adminiſtrato, poſtea ſcillam melius reſpondere frequentiſſime obſervavit.

Hydropi cum vitium organicum hepatis lieniſve cauſam dederit, hydrargyrus, vel externè unguenti frictione, vel internè hydrargyri muriati mitis formâ, fortiter et ſtrenuè adhibendus.

Digitalis

* Conſpect. vol. ii. De remed. diuret. p. 372.

Digitalis purpurea. Hujuſce medicamenti potentiſſimæ vires ſalutares ad hydropem, præſertim hydrothoracem prius ferè indomitum, debellandum, primus monſtravit Dr WITHERING *. Hoc ab aliis eodem ſucceſſu adminiſtratum nomen ſibi magnum vindicaret. Eoſdem felices tamen effectus (ſicut infra oſtendemus) haud ſemper probavit, quia forſitan ſine ſolertia a medicis quibuſdam adhibitum fuit.

Effectus vero maximè noxii, et moleſti, in aliis exemplis medicos quoſdam ab ejus uſu deterruerunt. Doſis vel nimia, ſæpiùſve repetita,

* Formula WITHERING:

Doſis pulveris a gr. ſſ. ad gr. ii. vel. iii. bis in die ſumenda.

℞ Folior. Digitalis ſiccator. ʒii.
Aquæ bullientis, ℔ ſs.

Infunde per horas quatuor; et colaturæ adde
Spiritûs cinnamomi ℥i.

Hujuſce infuſi ℥i. bis in die ſumenda.

Vide Treatiſe on Foxglove.

tita, nauſeam, vomitum, hypercatharſin, vertiginem, pſeudoblepſin, pulſum maximè tardum, ſudores frigidos, ſpaſmos, ſyncopen, demumque mortem, inducere ſolet. Ea mala autem, non medicamento ipſi, ſed imperitiæ adminiſtrantis, ſunt imputanda. Dr WITHERING hoc remedium primò præſcribens tantum cenſebat præbendum, quantum nauſeam et pulſum tardum inducebat. Citò tamen effectus diureticos adeo de viribus ejus narcoticis non pendere reperit; diureſis enim, ſupervenientibus nauſeâ, vomitu, aut pulſu tardo, in plurimis exemplis ſubito ceſſavit *.

Experientia tandem docuit Doctorem WITHERING, digitalem in parvulis doſibus, ita ut, nec ventriculus, nec pulſus afficerentur, adhibitam, ad urinam promovendam, et aquas collectas evacuandas, ſe optimè geſſiſſe. Medicamentum igitur adhibere ſtatim abſtitit, cum ventriculum, aut pulſum, aut inteſtina, aut renes,

* Lib. cit. Caſes 72. 77. 101. 144. &c.

renes, affici primùm perceperit. Si purgatio ſupervenerit, multùm diminutam eſſe utilitatem notavit; et, re ita ſe habente, opium ab eodem fuit feliciſſimè adjunctum.

De viribus digitalis in hydropem debellandum medici inter ſe magnoperè diſſentiunt. Dr Rush hoc remedio in hydropibus tonicis ſolummodo utitur, porròque dicit, "I am "ſorry to ſay, that after many trials, I have "failed in moſt of the caſes in which I have "given it *." Ex ſententia autem Doctoris Rush effectus ejus corpori inde debilitato adſcribentis, hoc medicamentum in magna illa copia, quâ Withering infeliciter uſus eſt, a Rush adhibitum, nobis veriſimile eſſe videtur. Digitalem præconceptâ etiam theoriâ de modo operandi talibus præſcriberet Dr Rush, quales etiam Dr Withering ex uſu ejus minimè ſanatos reddidit; ſicut his verbis traditur a Withering, "In men of great muſcular

"ſtrength,

* Med. Inquir. vol. ii.

" ſtrength, tenſe fibre, warm ſkin, florid com-
" plexion, and in thoſe with a tight and cordy
" pulſe."

Pericula digitalis a Doctore FERRIAR in hydrope inſtituta obſervationes priores Doctoris WITHERING haùd parum ſtabiliunt. Confitendum eſt tamen, effectus minus felices, quàm in exemplis a Doctore WITHERING traditis, uſum ejus conſecutos fuiſſe.

Ex obſervationibus Doctoris FERRIAR ſequentia colligenda; 1. Digitalem cautè, ut a Doctore WITHERING adhibitam, remedium tutum fuiſſe; 2. Eam feliciter præbitam, mature et in doſibus parvis effectus ſuos ediſſe; 3. Nauſeâ, aut vertigine, aut pulſu tardo, ſupervenientibus, urinam minus moviſſe; 4. Urinam in nonnullis exemplis, ſine tumorum hydropicorum pro rata parte diminutione, auctam; 5. Digitale ejus ſpes fallente, alium diureticum, et vice versâ, ſæpè valuiſſe; 6. E caſibus xxix., xi. convaluiſſe, vii. mortuos, ii. ſublevatos

ſublevatos fuiſſe, ix. nullam alleviationem morbi ſenſiſſe *.

A multis auctoribus obſervatum eſt, digitalem in hydrothorace præ cæteris hydropum generibus profuiſſe.

Plurimæ diverſæque ſententiæ de digitalis operatione in hydropem ſanandum propoſitæ ſunt; quorum multæ, repugnante experientiâ, haud veritate nituntur. "Duo ſunt præci-
"pui medicinæ cardines, (ait BAGLIVI),
"ratio, et obſervatio; obſervatio tamen eſt
"filum ad quod dirigi debent medicorum ra-
"tiocinia †." Theoria formata cum factis congruere ſemper debet; et "quique (obſer-
"vat auctor jam dictus) de praxi per regulas
"Theoriæ promiſcuè judicabit, nunquam fe-
"lices eventus in curandis hominibus ex-
"pectet ‡."

Exemplis

* FERRIAR loc. cit.

† BAGLIVI Opera, lib. 1. cap. 2.

‡ Ibid, lib. 1. cap. 11. § 5.

Exemplis igitur perpenſis, quæ cel. medici Withering et Ferriar attulerunt, minimè iis aſſentior, qui opinantur, digitalem nauſeam et debilitatem producendo, motum abſorbentium retrogradum gignere, et hinc tumores reducere; quia nunquam poſſet hypotheſis mera experientiæ repugnare. Sed non cenſendum, ubi nauſea ſit, ibi diureſin eſſe non poſſe; attamen in multis exemplis, nauſeâ ſuperveniente, urinam prius plenè fluentem, ſubitò prohibitam, et tumores ultrà non diminutos, obſervatum eſt.

Ex omnibus ſupradictis, medicamentum, cùm eo rectè utimur, admodum utile in natura eſſe videtur, ex abuſu ejus tamen fit minimè utile, etiam pernicioſum. Modus operandi autem difficulter explicandus caligine fere omninò latet; ſed hoc quidem argumentum, indefinitum, incognitum, et fortaſsè inutile, prætermittere, et in Ciceronis verbis concludere nobis liceat: "Quid ariſtolochia ad

"morſus

"morſus ſerpentum poſſit, video; quod ſatis "eſt; cur poſſit, neſcio. Sic ventorum et "imbrium ſigna, rationem quam habeant, non "ſatis perſpicio: vim et eventum agnoſco, "ſcio, approbo*."

Nicotiana †. Quanti pretii ſit hoc remedium ad urinas ciendas a plurimis exemplis allatis

* De Divinatione, cap. 1. § 10.

† *Formulæ Nicotianæ* Doctoris FOWLER.

℞ Foliorum Nicotian. Virgin. ſiccat. ℥i.

Aquæ bullientis, ℔ i,

Macera per horam unicam in vaſe clauſo, in balneo mariæ poſito, deinde hujus infuſi ℥xiv. exprime, et colaturæ adde

Spirit. Vinos. Rectif. ℥ii. ut melius ſervetur. Hujuſce infuſi lx. ad c. guttæ bis in die, ſcilicet horis duabus ante prandium, et iterum horâ ſomni, ſumendæ.

Tinctura Nicotianæ.

℞ Folior. Nicotian. Virgin. ſiccat. ℥i.

Spirit. Vinos. tenuioris ℔ i.

Macera per dies quatuor, et cola.

allatis teſtatus eſt Dr FOWLER. Eam præbuit hic hydropicis xxxi., quorum xviii. ſanati, x. adjuvati, et iii. non levati ſunt.

Ex 115 exemplis, in 93 *diureſis* promota;
in 40 alvus ſoluta;
in 79 vertigo inducta;
in 52 nauſea genita fuit *.

Dr DUNCAN etiam experientiâ et diligentiâ præditus nicotianam in hydrope haud parum laudat †.

Opium. Hoc remedium, Doctore WILLIS teſtante, magnas laudes meretur. Dr MEAD etiam ægroto, quem dolores intolerabiles torquebant, cum maximo fructu, non ſolùm in doloribus alleviandis, ſed etiam in urinis ciendis, opium dedit ‡.

Virga aurea. In paucis hydropis exemplis Dr FERRIAR ‖ hoc medicamentum feliciter adminiſtravit,

* FOWLER on the uſe of Tobacco in Dropſies.

† Prælection. Clinic.

‡ Monita et Præcepta Medica de Hydrope p. 21.

‖ Lib. cit. vol. ii. p. 167. Caſ. 20. 25.

adminiſtravit, in doſi pulveris ʒſs. ter in die id præbens.

Colchicum autumnale. Hoc medicamentum ſub oxymellis forma exhibitum magnoperè laudant STOERCK et COLLIN. A multis autem aliis fruſtra adminiſtratum eſt, et remedium maximè anceps videtur.

Lactuca viroſa. Vires diureticos haud debiles COLLIN huic remedio aſcribit; in his regionibus autem medici, quibus virtutes ejus confirmarent, vix pericula fecerunt.

Multa alia medicamenta, de quibus ſingulatim tractare longum fuerit, a diverſis medicis recenſita ſunt. Ex hoc numero, ſolanum (dulcamara), cuprum ammoniacum, pil. lunares, et pilulas tonicas BACCHERI, annotare fas ſit.

Allium, cepa, ſemen ſinapi, juniper, ſpiritus ætheris nitroſi, medicamenta diuretica potentiora ad ſuos effectus edendos maximè adjuvant.

Medicamenta

Medicamenta tonica cum diureticis juncta, veluti cinchonam cum cantharide, in nonnullis exemplis profuiſſe teſtatur Dr FERRIAR.

Fricationes manu cum oleo imbutâ minimè negligendæ: in morbis enim ab imminuta abſorptione pendentibus haud parum proſunt. Strigilis diu adhibita, nullis remediis internis adjectis, anaſarcam removere reperta eſt.

Sudorifica. Morbo a frigore et obſtructa perſpiratione originem ducente, *Pulv. Ipec. comp.* ad ſudorem eliciendum, causâ hydropis hoc modo remotâ, nonnunquam cum fructu adminiſtratus eſt.

CONSILIUM TERTIUM.

TONUM CORPORI REFICERE.

De conſilio tertio, nempè ut hydropis reditui obſtetur, haud multa dicenda. Omnia quæ

tonicum

tonicum corpus reddunt, ficut diæta roborans cum vini ufu modico, exercitatio in aëre ficco et puro facta, balneum frigidum, medicamenta corroborantia, præcipuè *chalybs* et *cinchona*, diverfaque amara, huic propofito fefe offerunt.

Morbum quamvis adeo infeftum depinximus, ex ufu tamen tempeftivo remediorum fpes haud inutiles, caufas amovendi remotas, indicia urgentia alleviandi, et fortafsè morbi reditui præcavendi, habere liceat. Caufæ autem five hydropis diverfæ, five conditiones corporis contrariæ, in quibus hoc malum fefe oftendat, fpectantur, periculum ex iifdem remediis fine difcrimine adhibitis pariter manifeftum eft. Hinc CAUSÆ hydropis EXCITANTES maximâ curâ perfcrutandæ, et REMEDIA ad eas tollendas aptiffima eligenda. Cura ad hanc rem neceffaria uno alterove exemplo evincetur. In hydrope propter impeditam frigore perfpirationem genito, balneum calidum, et medicamenta fudorifica, maximê pollent.

lent. Quisnam, si ex obstructis vel schirrosis visceribus nascatur morbus, esset talium remediorum effectus? Quanta mala ex stimulantibus in ea hydropis specie a Doctoribus RUSH et GRAPENGIESSER descripta, inflammatoriâ diathesi comitante, auctâque arteriarum actione, sequerentur? Quam perniciosa, in corpore chlorosi debilitato, sanguinis detractio?

His demum peractis, restat tantùm, ut beneficia maxima, et plurima, a Professoribus in hac Alma Academia medicinam felicissimè docentibus, accepta, quæ in animo nostro nulla delebit oblivio, agnoscamus: itidemque Auctoribus, qui suppeditârunt huic opusculo materiem, gratiæ agendæ: magis enim aliorum adminiculis, propriò quàm Marte, hæc de morbo ferè indomito, quoad causas, symptomata, et remedia, potuimus conferre. "Nec "Medici, (secundum CICERONEM), nec Im-
"peratores,

" peratores, nec Oratores, quamvis artis præ-
" cepta perceperint, quidquam magnâ laude
" dignum, ſine uſu et exercitatione, conſequi
" poſſunt*."

* Cicero de Officiis.

FINIS.